



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Patris D. Hludowici Blosii Abbatis Lætiensis Ordinis S. P. N. Benedicti Tomus Posterior Margaritum Spirituale

Blois, Louis de

Monasterii Campidonensis, 1672

Sectio Tertia. Instructio vitæ Asceticæ, Partibus distincta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45885)

VENERABILIS PATRIS
 HLUDOWICI BLOSI
 ABBATIS LÆTIENSIS
 INSTRUCTIO
 VITÆ ASCETICÆ,
 PARTIBUS III. DISTINCTA.

- I. Speculum Monachorum, hætenus sub DACRYANI Abbatis nomine evulgatum.
- II. Enchiridion parvulorū. Libri duo: cum Precatiunculis & Doxologiis ad Deum & Dei param.
- III. Septem Exercitia, vel Meditationes, Religiosis maximè Tyronibus accommodatæ, quibus homo in timore Dei, & bona sanctaq; vita citò stabiliri potest.

HLVDO-



HLUDOWICI BLOSII
 INSTRUCTIONIS
 VITÆ ASCETICÆ,
 PARS PRIMA,
 SIVE
 SPECULUM
 MONACHORUM.
 PRÆMONITIVNCULA.

HUIC SPECULO Monachorum, *cujus Auctor est*
 Bloſius, nomen aliquando præfixum fuit DACRYA-
 NUS, quod ſonat LACRYMATOREM, quia
 Bloſius pius & verus lacrymator, Ieremiam aut He-
 rachitum, ſub larvato nomine Dacryani, corruptos
 Monastica vitæ ſuo ſeculo mores Religioſis viris, non
 ſine gemitu, tanquam in SPECULO ſpectandos ad emendationem aut
 emundationem exponit. Spectator, ſeu Lector, vide, & cum ploratore
 Bloſio ingemiſce, & te corrige.

DIVI-

Speculū
Monachorum

DIVISIO PRIMA.

Monacho diligenter cogitandum, cur arctius vita institutum ingressus sit.

1. Humilū excusatio operū à se suscepti.
2. Veri Monachi proprium opus esse, jugem sui ipsius mortificationem.
3. Ficti Monachi character, ex vitiis ejus delineatus.
4. Quibus omnibus bellum perpetuum à vero Monacho indicendum.

1. Exordium ab humilī excusatione scriptio- nis de speculū.



ERIS à me, dilecte frater Odo, spirituale aliquod speculū, in quo te ipsum contemplari, & pulchra deforma-

que tua exactè perspicere possis. Nova ista tua petitio est. Puto, non me cognoscis: nam si cognosceres, quomodo rem spiritualem ab homine carnali peteres? Veruntamen ne piam petitionem tuam præterisse, vel potiùs contempsisse videar; ecce, mitto quod penuria nostra subministrare potuit. Accipe igitur doctrinam brevem, cujus lectione vel tenuiter fortè discere poteris, qualis sis, & qualis non sis, aut certè qualis esse debeas.

2. Inprimis moneo te, ut sæpè serioque cogites, quare in monasterium veneris: nempe ut,

mundo tibi que mortuus, soli DEO vivas. Ergo tota intentione id facere stude, ad quod faciendum venisti. Dilce fortiter contemnere omnia sensibilia, & te ipsum viriliter frangere, salubriterque relinquere, passionum affectionesque vitiosas in te mortifica re festina. Satage reprimere instabiles evagationes mentis tuæ: contende vincere fatigationem, acediam, & tædium infirmi animi tui. In his sit quotidianus labor tuus, gloriosum certamen tuum, & salubris afflictio tua. Noli esse remissus: sed exurge, vigila, circumspice, expone te totum; ne tibi malè peperceris. Hoc enim à te exposcit Deus tuus: hoc à te exigit status tuus. Monachus diceris; vide ut verè sis quod diceris: opus Monachi fac. Debellandis, inquam, eliminandisque vitiis sedulo invigila. Adversus naturæ pravitatem, adversus animositatem, adversus voluptates carnis, & sensualitatis illecebras, semper armatus esto.

Intellige quæ dico. Si super-
biam, jactantiam, vanam glo-
riam, propriam complacentiam,
tuæ rationi dominari permittis;
si proprium sensum protervè se-
qui, si quæque humilia & simpli-
cia contemnere audes, Mona-
chus non es.

Si invidiam, odium, amarulenciam, indignationem à te
D d d pro

chi est
proprio e-
suo opere,
quod est
mortifica-
tio as-
suetudine.

3.
Monachi
non veri
chara-
cter, ex
vitiis sta-
tui con-
trarius;
superbi-
æ pro-
prij sen-
sus.
Invidiæ
& indi-
gnationis.

Speculū
Mona-
chorum

pro viribus non repellis ; si sus-
picionestemerarias , quærimo-
nias pueriles , murmurationes
sceleratas non rejicis , Monachus
non es.

Conten-
tiositatis
& impa-
tientie,

Si , contentioso acrique dif-
sidio inter te & alterum fortè
exorto , non mox de reconci-
liatione tractas ; & quavis in-
juria affectus , non statim con-
donas ; sed vindictam expetis ,
aut voluntariam similitatem , mi-
nusque sinceram affectionem in
corde retines , vel etiam exte-
rius signa inaffectionis ostendis ;

* De
hoc plu-
ra D.
Thom.
2. 2. qu.
27. art.
8. & 9.

si etiam eum , qui injuriam intulit ,
adjuvare differs , quando
necessitas & occasio se offert ; Mo-
nachus non es , Christianus * non
es , abominabilis coram DEO
es.

Culpam
non agno-
sentium

Si , postquam deliquisti , te-
ipsum regulariter accusare , &
culpam tuam ingenuè confiteri
erubescis ; si ad increpationes ,
correctiones , correctionesque ,
patientiam & humilitatem non
exhibes , Monachus non es.

Prælato
non obe-
dientium,

Si spirituali Patri in omnibus ,
quæ mala non sunt , promptè fi-
deliterque obtemperare negligis ;
si eundem spiritualem Patrem
tanquam Dei vicarium revereri ,
ac sincerè amare renuis , Mona-
chus non es.

Conven-
tuali-
bus
ego dū
se subdu-
centium,

Si à divino Officio , & ceteris
actionibus Conventualibus te li-

Si , interioribus tuis neglectis ,
exteriora tantum curas , & arida
quadam consuetudine solum cor-
pus , non autem cor , ad Reli-
gionis opera moves , Monachus
non es.

Si sacris lectionibus , aliisque
spiritualibus exercitiis non das
diligentem operam ; si mentem
transitoriiis rebus sic implexam
vel depressam habes , ut raro ad æ-
terna assurgas , Monachus non es.

Si delicatum superfluumque
eibum exquisis , & vini potum
intemperanter ultra mensuram
unius Icyphi affectas , præsertim
quando rectè vales , cerevisiam-
que aut alium potum convenien-
tem sufficienter habes , Monachus
non es.

Si pretiosas vestes , mollia stra-
ta , & quævis solatia carnis , quæ
statui & professioni tuæ minus
conveniunt , insipienter requi-
ris ; si quietem corporalem dili-
gens , laborem & afflictionem
propter Deum subire recusa , Mo-
nachus non es.

Si solitudinem & silentium
non sustines , sed otiosis sermoni-
bus , inordinatisque rilibus de-
le-

Speculū Monachorum
lectaris, Monachus non es.

Divagationis ad secularia,
Si cum secularibus esse gaudes; si extra monasterium per vi-
cos & urbes evagari desideras,
Monachus non es.

Proprietate contra pauperitatem,
Si rem, etiam exiguam, da-
re, mittere, recipere & tenere,
absque Superioris scitu permis-
sioneque præsumis, Monachus
non es.

Contemptus ordinationis regulæ,
Si ordinationes sanctæ Re-
ligionis, quantumvis modicæ
sint, parvipendis, easque volens
transgredieris, Monachus non es.

Impura aut languida intentione,
Si denique aliud præter DE-
UM in monasterio quæris, & ad
vitæ perfectionem totis viribus
non adniteris, Monachus non es.

4.
Contra hac visio perpetuo luctandum est Monachis a-
matori sincera, etiam per totam vi-
tam.
Ut igitur, sicut dixi, verè sis
quod diceris, & habitum Mo-
nachi in vanum non portes, o-
pus fac Monachi. Arma te in te;
certa contra te, vince & suppe-
dita te. Si citò non invenis pa-
cem quam desideras, si, inquam,
nondum tibi requiescere con-
ceditur, sed adhuc perstreperunt,
& vim faciunt brutales motus,
passionesque turbulentæ; imò ve-
rò si, DEO sic permittente, per
omnem vitam pro tua utilitate
cum huiusmodi hostibus tibi col-
luctandum fuerit; noli diffidere,
noli muliebriter dejicere; sed humi-
lians te coram Domino, sta, &

permane in loco tuo, strenuèque
dimica.

Nam & vas electionis beatus ^{Exemplis}
Paulus, per omnem vitam suam ^{B. Pauli}
sustinuit tentationem, qua ab An- ^{Apostoliz.}
gelo satanæ colaphizabatur; cum-
que precibus sæpius expeteret à
Domino tantæ molestiæ libe-
rationem, non est tamen libe-
ratus; neque enim hoc ei ex-
pediebat; sed Dominus precanti
respondit: *Sufficit tibi gratia* ^{2. Cor. 12.}
*mea, nam virtus in infirmitate per-
ficitur.* Sicque Paulus deinceps
gratanter pertulit tentationis fla-
gellum. Hujus fortissimi insu-
perabilisque athletæ confortatus
exemplo, ne despondeas animum
in tentationibus, sed sustine vi-
riliter, fixus atque immobilis in
sancto proposito permanens.

Nam laborem tuum procul- ^{& pro-}
dubiò gratum habet Deus tuus, ^{per divi}
quamvis tibi nimium amarus vi- ^{nam re-}
deatur idem ipse labor tuus. Spi- ^{tribusio-}
rituale martyrium invicto ani- ^{nem,}
mo perfer. Nihil dubita, etiam
si millies vulnereris, etiam si mil-
lies conculceris; coronam reci-
pies, si modò perstiteris; si modò
conflictum non deserueris, & ar-
ma non projeceris. Fac quod
in te est: reliquum commenda
divinæ dispositioni, dicens: *Si-
cut fuerit voluntas in celo, sic fiat.* ^{1. Mach. 3.}
Sit summa consolatio tua, ipsa
divina voluntas & ordinatio.
Quocumque te verteris, ubicun-
que

Ddd 2

Et quia
tentatio

Speculū
Moua-
chorum
ner pati
in omni
statu, vi-
ta est ne-
cessariū.

que fueris, tribulationes & tenta-
tiones inuenies, quamdiu hæc
vita duraverit: ad quas patien-
ter tolerandas semper te para-
tum esse oportet. Felicem verò
te, si eò tandem à gratia perdu-
ctus fueris, ut quævis grædo
& afflictio tibi verè sapiat pro-
pter DEUM.

nem peccati maculam in te de-
leat, teque adjuvare dignetur.

Deinde, rejecta phantasma-
tum confusione, aliquid spiri-
tuale pertracta, & quantum po-
tes puritatem cordis cõcipe, gau-
dens intra temetipsum, quòd ad
cultum & laudes Creatoris tui
evoceris.

DIVISIO II.

Quid quoque diei tempore sit agen-
dum. Et primò, de Officio divi-
no, & devotione aut desolatione
inter orandum.

1. Vbi à somno surgitur ad Matutinas pre-
ces, quomodo se gerere debeat Monachus.
2. Quomodo, ubi Horaria preces persolvun-
tur, & sub ipsam psalmodiam sacrã.
3. Quomodo perserenda distractiones & de-
solationes inter orandum.
4. Pulcherrima distinctio servorum Dei in
insatiles, Fideles, & Tepidos.

1.
Quid quo-
que diei
tempore
facien-
dum, à
somno
hincipit.

SATISNE Speculum nostrum
Sexcrevit, mi frater? Aut non-
dum tibi satis excrevit, sed ad-
huc expressius, diffusius jucun-
dusque audire desideras, quo-
modo te interiùs & exteriùs com-
ponere, quomodo vitam tuam,
vel quemlibet diem coram DEO
rationabiliter ordinare debeas?
Audi ergo.

Ex terre-
stium orat
Deum.

Statim dum evigilas, surre-
cturus ad nocturnam synaxim, si-
gnum Crucis attentè exprime, &
Deum breviter deprecare, ut om-

Verumtamen si fragilitas cor-
poris, si somni grædo, si con-
turbatio spiritus deprimit; ne
collabaris animo: sed conforta-
re, & vim tibi affer, ratione ac
voluntate omnia impedimenta
superans: *Regnum enim calorum*
vimpatitur, & violenti rapiunt il-
lud. Planè secundum laborem
quem sustines pro Deo tuo, red-
det tibi Deus tuus.

Descenso lectulo, animam pa-
riter & corpus commenda atque
offer Altissimo.

Tempestivè accurre ad cho-
rum, tanquam locum refugii, &
hortum deliciarum spiritualium.

Donec inchoetur divinum
Officium, mentem à turbulentiis,
& multiplicitate incertarum co-
gitationum expeditam, in tran-
quillitate atque simplicitate con-
servare stude, pium dulcemque
affectum erga Deum tuum per lin-
ceram meditationem vel oratio-
nem colligens.

Sub

Speculū
Mona-
chorum

Sub ipsius Officii decursu, perfecte, reverenter, gratanter &

In ipsa
psalmo-
dia sit at-
tentia af-
fectuosa.
Psal. 99.

2. attentè lacra eloquia pronuntiare atque audire satage: ut gustes quoniam suavis est Dominus: & sentias quoniam verbum Dei incomprehensibilem habet dulcedinem & virtutem. Quæcunque enim Spiritus sanctus distavit, reverà vivificus cibus, & deliciosum solatium sunt animæ caltæ, sobriæ & humilis. Ergo tibi fideliter attentus esse memineris.

Placido
tamen
conatu,

Cogitationem tamen, mentisq; impulsus nimis vehementem devita, præsertim si debile caput habes: ne læsus, fatigatus, confusus, constrictusque interius, tibi ipsi sanctuarium DEI occludas.

Non an-
xio nec
scrupulo-
so.

Similiter sollicitudinem nimis anxiam, quæ pusillanimitatem inquietudinemque adducere consuevit, rejice; & leni, quieto vigiliq; spiritu in laudibus Dei sine perplexitate persevera.

3.
Distra-
ctio non
quomodo
ferenda
vel aufe-
renda
perseve-
rantia af-
fectu su-
peran-
tur.

Si igitur cor ab evagationibus reprimere non potes, noli animo consternari: sed placidè conare, placidè fac quod in te est, reliquum divinæ voluntati committens. In pia erga DEUM affectione persevera, & ipsi tui defectus, quos nulla ratione excludere præuales, tibi consolationem quodammodò gignent. Quemadmodum enim terra, quæ

convenientis naturæ est, ex con-
spergione sordentis sibi uberius
aliquando sua germina profert;
ita mens bonæ voluntatis ex mi-
seria defectuum, quos invicem su-
stinet, dulcissimum divinæ vili-
tationis fructum suo tempore per-
cipiet, si patienter sustinuerit.

Quid autem tibi proderit, si impatiens fueris? Nonne calamitatem calamitati adjicies? & te veram quidem humilitatem non habere, habere verò perniciosam proprietatem, demonstrabis. Dum reverenter assistis, & prompto voluntatis desiderio semper paratus es attendere; etiam si semper attendere non potueris, Deo satisfacisti; nec ipse tibi imputabit hujusmodi instabilitatis inordinationem, modò eidem inordinationi per tuam negligentiam non consentias, & ante orationis tempus sensus tuos custodias. Si non potes perfectum offerre obsequium, offer saltem bonam voluntatem; offer in spiritu humilitatis rectam intentionem: & jam non habebit diabolus quod adversum te cavillari possit.

Eriam si nihil aliud offerre potueris, quàm quod corpore & spiritu præstò es ad serviendum Domino in sancto timore, confide, non perdes mercedem tuam. Sed vae animæ tuæ, si negligens remissusque fueris, & attendere non curaveris. Scriptum est e-

Et in so-
latium
aut salitè
profecit
verum-
tur, quod
ostendit
tur appo-
sita fini-
tudinibus.

Impatien-
tia pro-
prietatis
indivisa.

Firma
voluntas
faciendi
quod po-
terit sup-
plet defi-
cium di-
stractionis.

Ipsam af-
fictum ex
animo,
sufficit.

Modò om-
ni neglig-
entia
curatur

Speciū
Mona-
chorum
Ierem.
48.

Nullo mo-
do abjici-
endus est
animus
ob deso-
lationes.

Pfal. 33.

Pfal. 72.
* R. P.
Thom. à
Iesu l. 4
Oratio-
nis divi
næ c. 20.
citat
hæc ver-
batim
& quæ
sequun-
tur de
serwis si-
delibus
ac infi-
delibus,
magna
parte se-

nim; *Maledictus homo, qui fa-
cit opus DEI fraudulenter.* Dili-
gens esto, ut præstes quod præ-
stare potes; & securus eris, si
præstare non potueris quod præ-
stare desideras. Hac securitate
accepta, non conturberis, quan-
do impedimenta obveniunt, &
tantum præstare non valet, quan-
tum præstare vis. Quando, in-
quam, distractione sensuum, de-
jectione animi, ariditate cordis,
dolore capitis, vel quavis alia
misericordia ac tentatione affligeris;
cave dixeris, *Derelictus sum, Ab-
jecit me Dominus, Non placet
ei meum obsequium, quæ filii
diffidentia dicere solent: sed pa-
tienter vel etiam læto animo per-
fer omnia propter eum qui te vo-
cavit & elegit: certò credens,
quia ipse juxta est tuis, qui tribula-
to sunt corde.* Nam si absque mur-
muratione humiliter portaveris
onus impositum, dici non po-
rest, quantum gloriæ pondus tibi
in futuram vitam accumula-
bis. Verè DEO dicere poteris:
*Ut jumentum factus sum apud te,
& ego semper tecum.* * Audi fra-
ter. Si dulcedine interna re-
pletus, & supra teipsum eleva-
tus, usque ad tertium cælum e-
volaveris, ibique cum Angelis
miscueris colloquium; rem tam
grandem non facies, sicut si gra-
vamen & exilium cordis pro Deo
tuo affectuosè sustinueris, ipsi-
que Salvatori cõformatus fueris:
qui in extrema tristitia, tædio,

pavore, & angustia positus di-
xit Patri: *Fiat voluntas tua,* qui
etiam transfixis manibus ac pe-
dibus in Cruce pendens, non ha-
buit ubi caput suum reclinaret:
qui denique omnes amarissimæ
suae passionis dolores & contu-
melias amorosissimè pro te susti-
nuit. Igitur in sancta longani-
mitate contine teipsum, & ex-
pecta in silentio, donec placue-
rit Altissimo aliter disponere. Et
profectò in illa die non require-
tur à te, quantum dulcedinis in-
ternæ hic persenseris, sed quàm
fidelis in DEI tui servitio & amo-
re fueris.

Ex his qui servi DEI nomi-
nantur, multi infideliter, pauci
fideliter omnino serviunt. Infi-
deles servi, quamdiu devotionem
sensibilem, & gratiam lacryma-
rum præsentem habent, alacri-
ter DEO serviunt, libenter o-
rant, lætanter quibuslibet piis
operibus insistunt, & in alta qua-
dam cordis pace habitare videntur:
sed mox ubi subtraxerit
DEUS devotionem illam, vi-
deas eos perturbari, indignari,
amarulentos impatientesque fieri,
& jam nec orationi, nec ce-
teris sanctis exercitiis velle in-
tendere. Et quia internas con-
solationes pro voto non senti-
unt, ad externas spirituque con-
trarias sese perniciosè conver-
tunt. Unde liquet, eos non pu-
rè DEUM, sed DEI dona impu-
rè requirere, eisque ad suam ob-
lecta-

quentis
& caque
exorant
Quam
cas pe-
centur
re, si
formæ
se Crati
Christi
aprimo
modo.
Matth.
16.
Matth.
Luc. 9.

Servit
Dei lo
pietate
na,
Infi-
deliter
servit
tam
servit
tempore
conspic
tibus.

Non po-
terit
sed non
dona, pr
impura
interior
non.

speculū lestationem abuti. Nam si Deum
 Monachorum purè diligere, & in donis ejus
 vitiosè non requiescerent; ipsis
 sublatis, pacati in DEO permanerent, & ne tunc quidem ad illicitas consolationes diverterent. Ergo infideles sunt, quia in adversitatibus fidem DEO non servant. *Ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.* Semper prospera volunt, contraria non sustinent. Si DEUS concedit læta quæ semper volunt, DEO servant; si negat, ab eo discedunt. Imò verò nec in lætis quidem DEO, sed sibi servant. Ubique suam magis, quàm DEI voluntatem, fieri cupiunt. In dulcedine & consolatione interna potiùs, quàm in mortificatione vitiorum perfecta, sanctitatem constituunt: ignorantes, quia per subtractionem devotionis longè certius elucescit an quis verè DEUM amet, quàm per ipsius devotionis infusionem. Sensibilis enim illa devotio sæpè naturalis veriùs quàm spiritualis affectus est. Et qualis qualis sit, nisi quis ea prudenter usus fuerit, ad occultam quamdam superbiam, & vitiosam complacentiam, vanamque securitatem, suum sæpè possessorem perducere consuevit; quemadmodum videre est in ipsis eisdem servis infidelibus. Nam dum dulcedine intus perfunduntur, statim alios dijudicare & despiciere incipiunt: se sanctos jam, Deique secreta-

rios existimant: revelationes cælestes miris modis expectant & expectant; sed & miracula aliqua aut per se aut de se demonstrari desiderant, quibus ceteri cognoscere possint quòd sanctitatem, quam se habere putant, non habent. Hoc pacto in suis cogitationibus evanescere solent, qui gratiæ sensibili magis, quàm gratiæ largitori, inhiant.

Ceterùm fideles servi longè aliter se habent. Neque enim se, sed Deum quærunt: non suam consolationem, sed DEI beneficium & honorem præcipuè spectant, proprietatem ubiq; fugiunt. Sive Deus ipsis infundere, sive nõ infundere voluerit in fluxu interne suavitatis, iidem sunt: & in æqualitate mentis permanentes, DEUM diligere atque laudare non cessant. Non obnubilatio interior, non sensuum difficultas, non affectuum frigus, non cordis ariditas, non animi dejectio, non spiritus dormitatio, non tentationum angustia, non denique quarumlibet adversitatum miseriæ, neque prosperitatum successus, eos de loco suo dejicere possunt. Quamvis enim vel ex contrariis tristitiæ inordinatæ pressuram, vel ex prosperis delectationis sensualis imperum, in inferioribus animæ viribus aliquando forcè sentiant; non tamen dejiciuntur: quia in superiori mentis ratione quieti per-

Vndee Deo, sed sibi ipsi servant.

Sensibili devotio- ne demen- tati, in fultu de- siderii evanes- cent.

Servi fideles, qui Deum, quærunt non ejus dona:

Et servant ei strenue, sive in prospera, sive in adversis constituti.

Speculi
Mona-
chorum

perleuerare student, & diuinæ voluntati seu permissioni suam voluntatem conformant, dolentque quòd vel modicam indecentis motus contradictionem in se sentiant. Fundati ergo supra firmam petram, stabiles in charitate DEI persistunt: quorum utique summum solatium est, diuinum beneplacitum. Semper deuoti sunt: quia dum summo studio vitant atque abominantur quæcunque DEO displicent, cordisque puritatem vel tenuissimè contaminare possunt, dumque DEO se in omnibus rerum eventibus committunt: mentem mundam, liberam quietamque semper possident. Ista enim verissima Deoque gratissima deuotio est.

Dulcedi-
nem de-
uotionis
idèd solū
querunt
ut DEO
melius
placeant.

Illa altera sensibilis deuotio quæ incipientibus vel recenter conuersis familiarior est, non ita perdurat, neque tantam habet certitudinem. Est tamen & ipsa nobis multum utilis, si eâ prudenter utamur. Serui fideles, (sic enim eos adhuc appello quos Iesus non seruos, sed amicos nominat;) serui, inquam fideles exquirunt quidem etiam ipsi efficacem illam sapidissimamque gratiæ suauitatem exquirunt *laticiam salutaris* Domini; exquirunt vultum eius amabilem, & complexum suauissimum: sed spirituali verecundoque desiderio, non autem sensuali auiditate

Ioan. 15.

Psal. 50.

neque puerili leuitatè; aut turbarâ impatientiâ id faciunt.

Dona Dei expetunt, non vt in ipsis sensualiter delectentur, sed vt per ea feruentiores, atque ab omni inordinatione puriores effecti, cælesti sponso magis placeant. Amant Dei dona, gratiasque sedulò pro eis agunt: & tamen ab ipsis se veluti otiosos & liberos conservant, dum in eis non quiescunt. Per gratiam ulterius ad gratiæ datorem, & summum bonum progrediuntur, in quo solo quiescere licet. Felices omnino sunt quia quantò minùs donis adhærent, tantò magis dona percipiunt.

Quantùm libet autem benedictionibus à Deo ditentur, non tamen erigunt animum, non despiciunt alios, sed se. Se, inquam, despiciunt, & omni gratia spirituali indignos agnoscunt. Recogitant semper, quia quod habent, ex mera Dei misericordiâ habent: & quia quibus plus datur aut committitur, plus etiam ab eis exigitur. Sicque in timore sancto permanentes, & ex donis in humilitate proficientes, sese omnium infimos esse contententur.

Gaudent & gloriantur apud semetipsos, si iniusta diffamatione, contumeliis, iniuriis, atque extrema abiectioe pressi, Christum imitati fuerint: non autem si vel per mentis excelsum supra se eleuari, vel visio-

nes

Speculū
Monā-
chorum

nes inusitatas videre, vel mira-
cula evidentissima patrare potue-
runt. Suggestiones dolosas, qui-
bus diabolus eos ad inanem glo-
riam, & propriam complacen-
tiam allicere nititur, signo Cru-
cisedito, citius repellunt, nus-
quam assentientes maligni ser-
pentis versutiis.

In Christi
meritis
magis cō-
fidunt,
quam in
sua.

Non in numero, non in meri-
to bonorum operum, quæ faci-
unt, spem salutis suæ confiden-
ter collocant: sed in libertate fi-
liorum Dei, quam per Sangui-
nem Christi consecuti sunt, hū-
ciam reponunt.

Examen
institute
de quo ge-
nerē Dei
servorum
sui; fide-
litatem
an infide-
lium.

Tu iam, mi frater, agnitā ser-
vorum fidelium atque infide-
lium differentiā adnitere esse de
quibus fortè non es, & stude non
esse de quibus fortè es. Si adhuc es
de quibus velles te non esse, &
nondum es de quibus velles te es-
se; ingemisce, & humiliare; nam

Iacob. 4

humilibus Deus dat gratiam. Et
profecto, si humiliatus in con-
spectu Domini, doles te adhuc
ex numero infidelium esse; iam
quodammodo in sortem fide-
lium transisti. Labora, persevera
noli timere; non reprobaberis
cum infidelibus, sed assumēris
cum fidelibus.

De tepe-
dis seu
positis
carnali-
bus, qui
in mona-
steriis ne-
ligenter
& inde-
vote con-
versantur

Sunt adhuc alij divino obse-
quio *mancipati, qui tamen nec
infideles nec fideles serui Dei di-
cendū sunt; sed ignava diaboli
mancipia quise eos iure appellaue-
rit. Miseros & infelices illos in-
telego, qui deuotionem seu Dei

gratiam nihili, vel certè parvi
admodum facientes, interiora-
que sua prorsus negligentes, labi-
is quidem se Deum honorare si-
mulant, ceterum cor eorum lon-
gè à Deo est. In quodam malo-
rum profundo demersi, vix quid-
quam de propria salute cogitant.
Tales hodie sunt, quales heri e-
rant; tales chorum egrediuntur,
quales ingressi fuerant; nempe
immundi; tepidi, socordes, va-
gi, incompositi, sine timore, si-
ne reverentia. Eloquiis sacris,
quæ polluto ore proferunt, Deum
magis exacerbant, quàm pla-
cant.

Isa. 29.
* Tales
quidem
per vo-
ta Reli-
gionis
Deo cō-
secrati
sunt, nō
tamen
Religio-
nis suæ
sacra vo-
ta aut
exerci-
tia exe-
quuntur.

Utinam mundus hos sibi ser-
vasset! Ut quid enim monaste-
ria incolunt? ut quid terram san-
ctam calcant? Quare eleemosy-
nas iustorum devorant? quare
Angelica spiritualis exercitii
gymnasia deliciis carnalibus cō-
taminant? Si sordescere vole-
bant, in loco sordium permane-
re, non ad loca puritatis transire
debuerant. Simplicem gehennam
in sæculo malè viventes sibi
comparassent: duplicis gehennæ
supplicio in monasteriis negli-
genter viventes se reos faciunt.
Sed de his multa dicere, non est
nostri propositi: ad te ergo

Indigni
sunt loco
sancto
Religio-
nis, in
qua irre-
ligiose
vivunt.

redeat oratio,

* *
**

Speculū
Mona-
chorum

DIVISIO III.

*Occupationes spirituales extra cho-
rum interdū assumenda.*

1. Dies in operas certas partiendus, ne mens otio torpescat.
2. Otium vitiosum, & occupationem otiosam a quē evita.
3. Lectiones sacrae iucunditas ac praecipiones.
4. Privata orationes quatenus & quomodo usurpanda.

In^a privatis tuis exercitiis vide ut sis ordinatus. Praescribe tibi, quid quaque hora agere, & in quo te occupare velis: ita tamen, ut si quando vel ex obedientia, vel ex alia causa rationabili, seu ex quovis casu emergente, quodlibet exercitium abbreviaris, aut etiam in totum omiseris, non inordinate angaris.

Nam ad hoc praecipue tibi adnitendum est, ut in libertate, æqualitate & puritate cordis, omni proprietate rejecta, pacificus imperturbatusque coram DEO jugiter perseveres. Hoc enim super omnia alia exercitia, quantumvis etiam laboriosa & ardua ipsi Domino est acceptabile. Proinde quidquid huiusmodi libertatem in te impederit, id, etiam si spirituale multumque utile videatur, pro tempore relinque, quantum obedientia permittit. Omnem, inquam, cordis inquietudinem, qua vera pax, & perfecta erga Deum fiducia, spiritualisque

^a Hæc verba Blostii, & alia aliorum, videnda in Ludoco Lorichio de Cura corporis cap. 18. quod est de labore & otio.

perfectus præpeditur, repellere stude.

Nunquam vitioso otio locum dederis; ipsum enim est quod perimit animas. Sed & otiosas occupationes fuge: otiosas appello, quæ prorsus inutiles sunt. Neque mireris, quod dixerim: Nunquam vitioso otio locum dederis; est enim otium laudabile, videlicet anima DEO dedita, ab omnium sensibilibus rerum strepitu & imaginatione exempta, in interno silentio, & dilecti sui beatissimo complexu, velut otiosa requiescit. Si eò te deduxerit manus Domini, utiliter feliciterque otiosus eris. Alioquin semper aut lege, aut meditare, aut ora, aut aliquid aliud serium necessariumve tracta.

Sanè si ad lectionis sacræ studium promptus ac diligens esse volueris, jucundaberis plurimum, & tibi dulcescere incipient quævis spiritualia: herque, ut sanctis deliciis assuefactus, omnes delicias carnales facile contempnas: & mirum in modum stabilietur mens tua in bono proposito.

^b Ut igitur tantum fructum

^a Vide bonam descriptionem otii mystici. De quo suadendum est mystices candidatis ut legant R. P. Maximilianum Sandæum in medio Opusculi Theologiae mysticæ, ubi affines otio mystico voces, ut seculum, silentium, suspensionem, quietem, & alias ejusmodi, definit & explicat.

^b R. P. Iulius Nigronius in Affectibus Tract. 5. de Lectione librorum spiritualium cap. 1. §. 4. hæc & alia mox à Blostio dicenda citat, & plurima ex sanctis Patribus eodem spectantia confert, quæ à spirituali Lectore cum fructu videbuntur. item cap. 6. §. 31. & cap. 7. §. 49.

MIRA.

Speculū Monachorum merearis accipere, lectioni libenter atque sapienter intende: hoc est, in ipsa lectione utilitatem consolationemque spirituales, & Dei amorem quære; non curiositatem, non superfluam intelligentiam & scientiam, non verborum ornatum atque elegantiam. Regnum enim Dei non in venustate sermonis, sed in san-
Cor. 2 ditate vitæ est. Quæ tamen elegantia, sicut anxie quærenda non est, si absit; ita etiam cum contemptu rejicienda non est, si adsit; nam & ipsa donum Dei est. Omnia cum gratiarum actione suscipe, & omnia tibi proderunt ad salutem.

Lectio facta munda mentem, est verba non inhaerent memoria.
 * R. P. Jacobus Alvarez de Paz tom. 2. l. 3. p. 5. scilicet 2. c. 2. hæc adfert & agnat.
 * Vide R. P. Nigronium, mox citatum de Lectione c. 1. s. 4 c. 6 s. 33.
Reprehensionibus occupant ad tripsum, non ad alios accommendat.
 * Vide & cap. 6 s. 32.

* Non autem turberis, si bona, quæ legis, vel audis, universa in memoria non retines. Nam quemadmodum vas, quod sæpius aqua perfunditur, purum permanet, etiam si aqua infusa statim effluat: ita si mentem benevolam doctrina spiritualis crebro pertransierit, quamvis ibi non persistat, ipsam tamen mentem nitidam, Deoque placentem reddit & conservat. * Utilitas tua singularis non in hoc sita est, ut doctrinæ verba memoriæ commendes; sed ut doctrinæ verborumque effectus in te remaneat: id est, ut tu ex doctrina puritatem interiorem, paratamque voluntatem adimplendi mandata divina consequare.
 * Quæ contra vitia dicuntur, ea in te convertere discere; neque enim tibi semper tutum erit illa in alios cum fixa animi sententia

detorquere; ne, dum quemlibet pertinaciter judicas, propriam conscientiam macules, aut conturbes.

Similiter, quando occurrit mentio copulæ carnalis, ne hæreas, sed levissima cogitatione pertransito: opusque generationis humanæ tam tranquillo cordis intuitu ^a cõsidera, sicut quasvis alias exteriores hominum operationes; reputans ipsam copulam conjugalem nihil aliud esse, quàm ministerium quoddam humano generi necessarium. Tam obiter atque simpliciter res ipsa prætervolet ante mentis oculos, sicut si de lapidibus fieret mentio. Et ita in omnibus, quæ obscœniora videntur, vel ^b minimam lubrici motus, quantum fieri potest, vitato illecebram. Si per tentationem importunè molestant & contrubant, ratione prorsus contradicito: denega assensum, & signo Crucis edito totam intentionem ad Deum dirige. Sic enim periculum illæ sus evadere poteris.

Rerum carnalium mentio celeriter pertransienda in lectione.

^b Præterea, noli eos imitari, ^a Hoc monitum accipe non in materiæ obscœnæ consideratione sponte suscepta, sed quando ignaro aut nolenti occurrit vel obtruditur lectio ejusmodi, à qua castæ aures abhorreere debent, ne animus contaminetur.
^b Sunt enim magnæ notæ Theologi, qui ad D. Thomam 1. 2. q. 74. art. 8. disputant, An in materiæ castitatis possit dici dari levem aut parvam materiam in delectatione carnali motuum sensualium, quando voluntas plenè in delectationem consensum præbet.

Quid si importune nos oppugnet carnus tentatio.

Confusum, atque adeo curiosum studium fugiendum quod esturium vocat & culpam in dem Blosum in Institutione spiritali c. 8.

^c Hoc lectionis spiritualis præceptum ex scripsit. R. P. Nigronius, & alia addidit cap. 5. s. 23 & s. 24. ubi etiam citat alia Blosiana præcepta de Lectione sacra & spiritali in Institutione spiritali ca. 8.

E e e 2 qui

Speculi
Mona-
chorum

qui nullum legendi ordinem ser-
vant, sed quod fortè occurrerit,
quodque casu repererint, legere
gaudent: quibus nihil sapit, nisi
quod novum est & inauditum.
Consueta enim, & vetera omnia,
quantùmlibet utilia, fastidiunt.
Tanta instabilitas procul à te sit:
ipsa enim non promovet, sed
dispergit spiritum & periculose
laborat, qui hoc morbo viciatus
est.

Delectio
lectionis
habenda.

^a Animum ad certam lectio-
nem prudenter constringe: & in
ea immorari consuesce, etiamsi
aliquando minùs sapiat. Lege, in-
quam, non confuse, & sparsum,
sed ex ordine. Quæ bona sunt,
eadem sapiùs audire non pi-
geat.

Pro tem-
poris ra-
tione ali-
quoties
mutanda
est lectio
& studi-
um.

^b Verumtamen tempore tri-
bulationis & paupertatis spiri-
tualis, incepta nonnunquam in-
termitttere, & ad alia pia, quæ te
magis consolari possunt, pro ne-
cessitate divertere poteris.

Lectio
cui orati-
one vicis-
situdina-
ria muta-
rio utilis-
sima.

* Vide
eundem
R. P. Ni-
groniu
ibidem
cap. 6. s.
34.

* Sicut Patres testati sunt, uti-
le est à lectione ad orationem seu
meditationem transire, & rur-
sum ab oratione ad lectionem re-
currere: ut dum oratio lectioni, &
lectio orationi laudabili vicissi-
tudine succedit, tollatur fastidiù;
animusque velut recens ad opus
propositum semper vigeat, & ex

^a Vagam lectionem fugiendam, docet
ex Bloso hic & aliis Asceticis Doctoribus
idem Nigronius cap. 6. s. 29. & citat de eo-
dem ipsum Blosum cap. 16. quod est de Le-
ctione in Canone Vitæ spiritualis.

^b De hoc etiam fuse agit ibidem R. P.
Nigronius de Lectione cap. 4. s. 21.

utraque fructus copiosior refera-
tur. Et quid verat, quominùs
etiam in ipsa lectione breviuscu-
las quasdam orationes subinde
formes; & ad Deum per sancta de-
sideria adspires? Sunt nonnulla,
quæ & pro lectione, & pro ora-
tione vel meditatione adsumi
possunt: nempe omnes Scriptu-
ræ, in quibus colloquium habe-
tur cum Deo.

Communes orationes privatis
orationibus semper præfer, & eas
utiliores tibi esse judica: etiamsi
steriliores atque invidiosiores ali-
quando videantur. Sic & qualvis
communes regularesque actiones,
tuis privatis exercitiis antepone.
Nam ante omnia, & super omnia,
primum locum obedientia jugi-
ter apud te obtinere debet.

Sed quæris fortè, in quibus o-
rationibus & meditationibus pri-
vatarum te potissimum occupari
oporteat. Si mihi credis, in tuis
precatationibus, post accusationem
tui, & peccatorum peritam ve-
niam; præcipue postulabis à Deo,
ut malas passiones, vitiosasque
affectiones penitus in te mortifi-
cet, & ab omni inordinatione
perfectè denudet: detque gra-
tiam, qua omnem tribulationem
& tentationem æquanimiter at-
que gaudenter portare possis. Po-
stulabis humilitatem profundis-
simam, & ferventissimam chari-
tatem. Petes etiam, ut ipse te in
omnibus semper dirigere, doce-
re, illuminare, & protegere di-
gno-

Speculū
Mona-
chorum

gnetur. Hæc tibi maximè ne-
cessaria esse judico.

Perseve-
randum
in oratio-
ne;
Luc. 2.

Omnino magna & sublimia
sunt, nec ea consequi poteris, ni-
si in petendo assiduus & perseve-
rans fueris. Persevera ergo quo-
tidie pulsans, & tandem procul-
dubio Dominus aperiet: totque
panes largietur, quot tibi fuerint
necessarii.

Cum gra-
tiarum
gratitudine.

Vide autem, ne de his, quæ ac-
cipis, gratias sedulo agere negli-
gas; nam supra modum displicet
Deo, beneficiorum acceptorum
oblivio, & ingratitude.

Exten-
denda o-
ratio ad
totam Ec-
clesiam.

Et ut facilius citiusque Dei be-
nignitatem ad te inclines, atten-
tius deprecare pro statu totius Ec-
clesiæ, commendans Deo omnes
fideles, vivos & defunctos, uni-
versamque creaturam rationa-
lem.

DIVISIO IV.

*Orationis mentalis præcipua mae-
ria Domini IESU vita &
passio.*

*Omniū exercitiorum utilissimum, est medi-
tatio vitæ & passionis Iesu Christi.*

2. *Eius formulam in seipso Blossius, sed sub
alterius persona tradidit ex humilitatis studio.*

*Exercitii huius affectuosi & aspirativi uti-
litat, & ordo.*

4. *Ejusdem methodus pro Tronibus, per sex
articulos.*

1. *Medita-
tionis de
vita &
passione*

Vis audire, in quibusnam ad-
huc utiliter te exercere po-
teris? Ego dicam. Utilis est psal-
modia, utilis aliarum Scriptura-

rum pia ruminatio: utilis creatu-
rarum consideratio, si ad ipsum
Creatorem referantur, utiles sunt
quævis orationes, hymnodicæ,
gratiarum actiones, & medita-
tiones sanctæ: utilissimam au-
tem, & unicè necessariam, huma-
nitatis Christi, & maximè sacra-
tissimæ passionis ejus memoriam,
omnes asserunt; idque meritò.
Ipsa enim est præsens passionum
& affectionum inordinatarum
exterminatio, opportunum ten-
tationum refugium, tuta pericu-
lorum securitas, suave angustia-
rum refrigerium, amica laborum
requies, facilis distractionum re-
pressio, verum sanctitatis ostium,
unicus contemplationis aditus,
dulcis animæ consolatio, inde-
ficiens divini amoris incendium,
omnium adversitatum condi-
mentum, omnium virtutum fons
unde ad nos deriventur; denique
totius perfectionis absolutissimū
exemplar, portus, spes, fiducia,
meritum, & salus omnium Chri-
stianorum.

Christi
præstan-
tia & fru-
ctu sua-
vissimi.

† Fratrem novi, cujus consue-
tudo fuit, singulis diebus sibi ali-
quam ejusdem Dominicæ passio-
nis partem præfigere. Exempli
gratiâ: Uno die proponebat an-
te mentis oculos Christum in hor-
to constitutum; & eodie, quo-
cunque progrediebatur, ubicun-
que erat vacans ab alia serâ ne-

2. *In se sub
alterius
persona
methodo
indicat
de Chri-
sto medi-
tandi.
Præxi
dividendi
mysteria
passionis
Domini
ex in va-
rios dies;*

† Hanc utilem & illustrem præxi-
m pietatis in aspirationibus circa passionem
Domini nostri proponit velut exemplar
omnibus devotionis amatoribus R. P. An-
tonius Molina Tract. 1. de Oratione, cap. 17.
§. 2.

Eee 3 cessa-

Speculi
Mona-
chorum

cessariaque cogitatione, quid-
quid agebat exterius, oculum in-
teriolem dirigere satagebat ad ip-
sum Dominum diversas angus-
tias in horto sustinentem, & in
hunc ferè modum sæpè alloque-
batur animam suam: O anima
mea! ecce DEUS tuus. Respice,
filia attende, vide, & considera cha-
rissima: ecce Deus tuus, ecce Creator
tuus, ecce Pater tuus, ecce Redemptor
& Salvator tuus: ecce refugium tuum,
susceptor & protector tuus: ecce spes,
fiducia, fortitudo, & salus tua: ecce
sanctificatio, puritas & perfectio
tua: ecce adiutorium, meritum,
& premium tuum: ecce tranquil-
litas, consolatio, & suavitas tua:
ecce gaudium tuum, deliciae tuae, &
vita tua: ecce lux, corona, & gloria
tua: ecce amor tuus, & desiderium
tuum: ecce thesaurus tuus, & omne
bonum tuum: ecce principium tuum,
& finis tuus. Usquequò dispergeris
filia vaga? usquequò relinques lu-
cem, & amabis tenebras? usquequò
pacem desereres, & involveris turbu-
lentiis? Revertere, revertere, Su-
namitis, revertere filia, redi, & re-
collige te charissima; relinque mul-
ta, & amplectere unum: nam unum
est tibi necessarium. Mane cum Do-
mino tuo, constitue te iuxta DEUM
tuum, noli recedere à Magistro tuo:
sede sub umbra eius quem diligis, ut
guttur tuo dulcescat fructus illius.
Bonum est tibi hinc esse, filia: nam
huc hostis non appropinquat; hinc
insidiae nulla, nullam periculum,
nulla tenebra. Omnia hinc iuxta, om-
nia serena sunt. Reside hinc libenter,
charissima. Eris enim hinc secura &

libera: eris hilaris & jucunda. Hic
rosa, hinc lilia, hinc viola: hinc flores
omnium virtutum gratanter adspi-
rant. Videbis hinc splendorem uni-
versa suaviter irradiantem; inve-
nies hinc veram consolationem, inve-
nies hinc veram pacem, & requiem,
invenies deniq; hinc omne bonum.

Hujusmodi sententiolis & a-
criter & dulciter perurgebat ani-
mam suam, eamque foris vagan-
tem revocabat intrò, & summo
bono intendere cogebat. Ex ipsis
eisdem sententiolis aliquando
plures, aliquando pauciores, ali-
quando unam, aliquando duas,
aliquando tres, secundum suæ
devotionis affectum, & Spiritus
sancti beneplacitum adsumebat;
quinetiam easdem sæpius itera-
bat, & repetebat.

Ingererat item animæ suæ il-
la, quæ Salvator in horto pro ipsa
fecit & passus est: eam interim
excitans, nunc ad pensandam ip-
sius Salvatoris abyssalem humi-
litem, mansuetudinem, patien-
tiam, & ferventissimam incom-
prehensibilemq; charitatem: nunc
ad exhibendam compassionem
eidem summæ maiestatis Domi-
no sic inclinato & afflicto: nunc
ad gratias pro tantis beneficiis &
tanta pietate agendas: nunc ad
amorem fideliter rependendum;
nunc ad peccatorum veniam pe-
tendam; nunc ad hanc vel illam
gratiam postulandam. Sermo-
nem crebrò in affectuosas fervi-
dasque adspirationes converte-
bat, has, vel similes: O anima mea!
quando

Dulces
adspira-
tiones
quibus
anima se
Christo,
& Chri-
stum sibi
præsen-
tem exhi-
bet.

Jerem.
31.

Cant. 2.
Cant. 5.

Luc. 10.

Cant. 2.

Præci-
piis
adspira-
tionum
varia-
da.

Præci-
piis
adspira-
tionum
varia-
da.

Speculi
Monachorum
Adspiraciones ad
ejusmodi
proximi
peruti-
tas

quando parata eris sequi humilitatem Domini tui? Quando mansuetudinem eius imitaberis? Quando patientia ipsius exemplum in te relucebit? Quando melius habebis? Quando prorsus liberaberis à passionibus & affectionibus vitiosis? Quando penitus morietur in te omne malum? Quando omnis inordinatio in te delebitur? Quando omnem tribulationem & tentationem placidè affectuosèq; portabis? Quando perfectè diliges DEUM tuum? Quando illum intimè amplectèris? Quando ab eius amore tota absorberis? Quando eris pura, simplex, & nuda coram eo? Quando nullo amplius impedimento ab eius castissimo complexu retardaberis? O si immaculata esses! O si DEUM tuum ardentè diligeres! O si summo bono tuo inseparabiliter adhereres!

Adspiraciones a-
negogica, ani-
mam ad
caelestia
elevan-
ter.

Et dirigens in cælum, sive in abyssum lucis æternæ, intuitum cordis, sic ipsas adspiraciones etiam formabat: O anima mea! ubi est DEUS tuus? ubi est amor tuus? ubi est thesaurus tuus? ubi est desiderium tuum? ubi est omne bonum tuum? ubi est Deus tuus? Quando apud illum eris? Quando illum videbis? Quando illo felicissimè fru-eris? Quando illum cum omnibus celi civibus liberè laudabis? Has, & similes adspiraciones mente, vel etiam ore, tacitè proferebat; aliquando plures, aliquando pauciores adsumens, juxta internam Spiritus sancti motionem.

Reprehen-
sio igna-

Arguebat & ipsam suam ani-

mam frequenter, quòd nimis esset tarda, ignava, tepida, ingrata, dura, insensibilis, instabilis, misera atque infelix. Rursus eadem pusillanimitate aut formidine dejectam confortabat, erigebatque, hæc aut similia dicens: Noli desperare anima mea, consolare filia, confide charissima. Si peccasti, & vulnerata es, ecce Deus tuus, ecce medicus tuus paratus est sanare te. Benignissimus atque misericordissimus est, ut velit: & omnipotens est, ut possit peccata in momento dimittere. Expavescis fortè, quia iudex est; sed respira: nam qui iudex tuus est, ipse idem advocatus tuus est. Advocatus est, ut defendat & excuset pœnitentem: ergo etiam iudex est, ut salvet, non autem ut condemnet humiliatam. Inimmensum maior est misericordia eius, quàm sit aut esse possit iniquitas tua. Quod tamen dico, non ut in malis perseverans, te indignam misericordiâ reddas: sed ut à malis aversa, de indulgentia & remissione non desperes. DEUS tuus dulcissimus est, suavissimus est; totus amabilis, totus desiderabilis est; omnium, que creavit, amantissimus est. Quando eum concipis aut cogitas, procul absit omnis terroris, austeritatis & amaritudinis imaginatio: quòd autem terribilis dicitur, non propter se, sed propter illos dicitur, qui longanimitate eius abutuntur, & pœnitere differunt: quorum ipse amarissima sordidissimaq; peccata, tanquam sue dulcissimaq; bonitati contraria, propulsat & punit. Tua

via, & consolatio pusillanimitate, per adspiraciones in semetipsum restat ex pulchra & usurpanda praxi.

Non est abutendum Dei patientia ad peccandum, sed ad pœnitendum.

Terribilus enim est procraftinanti- bus

im-

Speculi
Monachorum
suavis
ad veniam
& emenda-
tionem
festinan-
tibus.

imperfectio non te nimium conster-
net; neque enim Deus tuus despicit te,
quia imperfecta infirmas es: sed
plurimum diligit te, quia perfectior
esse & desideras, & laboras. *Quin*
etiam te perseverantem adiuvabit:
& perfectiorem, vel etiam, quod
forte sperare vix ausis, totam pul-
chram, sibiq; per omnia placentem
efficiet. Istitis & similibus innu-
merabilibus modis colloquium
fatis amicabile cum anima misce-
bat, & eam castis alloquiis ad di-
lecti castum amorem invitabat.

Adspira-
tiones ad
Iesum
contra
proprium
amorem.

Convertebat & ad ipsum Do-
minum sermonem, adspirando
que ad eum per sancta deside-
ria, dicebat: Bone IESU, pie
pastor, dulcis Magister, Rex e-
terna gloria, quando immaculatus
& vere humilis ero coram te? *Quan-*
do penitus contemniam omnia sensi-
bilia propter te? Sed & meipsum
quando perfecte deseram? quando
ab omni proprietate nudabor? Nam
si non esset in me proprietates, non esset
in me propria voluntas: non haberent
in me locum passiones & affectiones
inordinate; in nullo quarerem me.
Sola proprietates inter te & me impe-
dimentum mediumq; constitui: so-
la proprietates retardat me a te. *Qua-*
do igitur exuam omni proprietate?
Quando meipsum libere resignabo
in tuum divinum beneplacitum?
Quando mundam, quietam, simplicem &
serenam mente tibi serviam?

Adspira-
tiones u-
nitiva
pro puro
Dei amo-
re.

Quando perfecte diligam te?
Quando ulnis animae meae suaviter
complectar te? *Quando* astuantissi-

mis desideris amabo te? *Quando*
omnis tepiditas & imperfectio mea
ab immensitate amoris tui absorbe-
bitur? O Deus meus! o dulcedo animae
meae! o consolatio mea! o vita mea!
o amor meus! o desiderium meum!
o thesaurus meus! o omne bonum
meum! o principium & finis meus!
Utinam & anima mea tuo dulcissi-
mo frueretur amplexu! Utinam in-
dissolubiliter tuo deliciosissimo vin-
ciretur amore! Utinam perfe-
cte tibi uniretur! *Quid* enim mihi
est in calo? & a te quid volui super
terram? Deus cordis mei, & pars
mea Deus in aeternum. *Quando* mi-
hi prorsus silebit iste mundus? *Quan-*
do mihi cessabunt omnia impedi-
menta, omnesq; inquietudines & vi-
cissitudines huius saeculi? *Quando*
finietur peregrinatio mea? *Quando*
consummabitur incolatus meus?
Quando solvetur miserabilis capti-
vitas huius exilii? *Quando* incli-
nabitur umbra mortalitatis, & ad-
spirabit dies aeternitatis? *Quando*,
deposita sarcina corporis huius, vi-
debo te? *Quando* sine impedimento
feliciter & perenniter cum Sanctis
tuis laudabo te? O Deus meus! o a-
mor meus! o omne desiderium meum!
o omne bonum meum!

Huiusmodi adspirationes fre-
quentare solebat; scilicet quia per
exercitium adspirationum huma-
nus spiritus spiritui divino effica-
cius unitur, & compendiosius
quis ad perfectam sui mortifica-
tionem pertingit. Eas quidem u-
bique paratas habebat: si quando
tamen uberius otium nanciscer-
batur,

Speculū Monachorum
Lucæ 10
batur, tunc residens ad exemplum Mariæ Magdalenæ, gaudebat in ipsis diutius & liberius immorari; idque ad honorem Dei magis, quam ad inordinatam oblectationem sui. Non omittebat interea cum interna quadam cordis effusione, per sincerum suavemque affectum, adorare, benedicere, gratias agere, atque precari.

Etiā ad B. Virginiem colloquia instituen- da.
Sed & ad beatam Dei genitricem Virginem Mariam, tanquam ad Dominam misericordissimam, matremque dulcissimam, & thesaurorum cælestium dispensatricem liberalissimam, divertens alloquium, piās querimonias coram ea ingeminabat, sanctaque importunitate benedictionem efflagitabat.

Memoria quotidiana Crucifixi distributa Passus myseris per vana pariter in vana die.
Die altero præfigebat sibi, quomodo Christus à Iuda proditus capiebatur: & circa id ipsum prædicta exercitia iterabat: sicque ex ordine passionem consummabat, & consummatam resumebat ab initio. Et quidem circa eam partem passionis, quæ Christum in cruce pendentem repræsentat, non solum suo ordine & die, verum etiam singulis diebus, si sic placebat, saltem breviter occupabatur, attendens angustias, livores & dolores crucifixi; considerans Vulnera beatissima, & sacrosanctū Sanguinem ex eis tanquam è fontibus promanantem: excitansque animam suam ad horum sedulam contemplationem.

In quavis solemnitate Salva-

toris aut Mariæ, repræsentatione ipsius festi, si ita videbatur, proponebat antementis oculos, locopartem Dominicæ passionis, quæ alioqui illo die fuerat frequentanda: & sua exercitia interna, seu amicas cum anima confabulationes, circa ejusdem festi opus, causam, mysterium atque læticiam transigebat. Delectabatur etiam studio psalmodiæ quamplurimum.

Solemnitates Christi & Mariæ, aliquando celebranda, si posita tunc meditatione Passionis.

Satis autem scio, quia idem ipse Frater ex continuata frequentia hujusmodi sanctæ ἀσκήσεως grandem consolationem, & eximium laboris fructum consecutus est. Adscripsi exemplum: tu, si libet, imitare. Nam hæc ratione Dei præsentiam attendere consuesces: hac ratione sensus sobrios, vigiles, exercitatos, & serenos habere incipies; hac ratione viam ad sublimitatem summæ contemplationis & perfectionis tibi sternes; hac ratione tempus, ubicunque fueris, utiliter expendes: utpote vanis & instabilibus cogitationibus è cordis tui latibulo eliminatis, seriisque introductis.

Immensifructus adpirationum si deliter frequentatarum.

Meditationes & aspirationes sub alijs verbis tibi formare poteris, si voles, quàm nos formavimus. In quibus, si sentis inspectionem libri impedire mentem, quominus ad Deum pertinere, eique uniri possis; noli librum inspicere. Rursus, si percipis inspectionem libri juvare tuum exercitum, librum inspice.

Libertas spirituum ad votione sustinenda in hoc adpirationum exercitio.

Speculū
Mona-
chorū.

Quid sint
adspira-
tiones.

4.
Exerci-
tium il-
lud qua-
renu. No-
vitiis per
sequen-
dum.

Instru-
tio pro
Novitijs
in sex
partes di-
visa:

1. Repra-
sentatio
Christi.

Volo enim tuam devotionem tibi esse liberam; & te Spiritus sancti gratiam absque confusione aut anxietate sequi. Porro per aspirationes, sicut ex suprascriptis formulis animadvertere potes, intelligimus oratiunculas quasdam jaculatorias, vel flammigera desideria, vivacesque & amorosos ad Deum affectus.

Qui initia internæ conversationis, & propriæ mortificationis nondum aggressus est, aut qui recenter illa aggressus est; prædictam exercitationis formam per omnia sequi mox in suis principijs fortè non debet: sed expedire ei, ut juxta rationem, quam subijciam, se ad tempus exerceat. Singulis igitur diebus etiam ipse aliquam Dominicæ Passionis partem sibi proponet: & ad eam, si ve stet, si ve sedeat, si ve progrediatur, si ve quiescat, mente recurrere studebit; nisi aliquid aliud utile aut necessarium in corde tractare debeat. Et frequenter hoc vel simili modo, cum anima sua in conspectu Christi patientis philosophabitur:

O anima mea! ecce Deus tuus: respice ingrata, attende misera, considera paupercula; ecce Deus tuus, ecce Creator & Redemptor tuus, ecce quomodo Rex æternæ gloriæ humiliavit se pro te: ecce quomodo majestas altissima inclinavit se pro te. Vide quàm tristia, quàm amara & indigna Salvator tuus sustineat pro te. Perpende, quanta charitate dilexit te, quanta affliktionem & attri-

tionem propter te, suscepit in se.

Excutere, anima mea, excutere de pulvere: solve vincula colli tui captiva filia Sion. Exsurge, egredere lutum vitiorum, relinque sordes vita negligentioris. Quamdiu cum voluptate versaberis in periculis? quamdiu anxietates & tormenta repuiabis requiem? quamdiu secura obdormies in interitu? quamdiu verum rectum sponte deseres, & longè lateq; divagaberis per invia? Revertere ad Dominum Deum tuum, quia ipse expectat te; festina, noli tardare; ipse enim paratus est recipere te. Expansis ulnis tibi in occursum veniet: tu tantummodò redire ne differas. Accede ad Jesum, & sanabis purificabitq; te. Adjunge te Jesu, & illuminabit te. Adhære Jesu, & benedicet tibi, salvabitq; te.

Nonnunquam eidem animæ suæ expressius improperebit extremam ejus ingratitude, & perversitatem, dicens: Eheu anima mea! quàm ingrata fuisti Deo tuo! Ipse innumerabilia præclarissimaq; beneficia tibi largitus est, & tu pro bonis mala semper ei reddidisti. Ipse ad imaginem & similitudinem suam creavit te, ipse immortalitate te donavit, ipse calum, terram, & omnia quæ in eis sunt, tuis deputavit commodis; ipse donis & gratijs plurimis ornavit te; ipse ad fidei Catholica lumen perduxit te; ipse è periculosis mundi fluctibus eripuit te, & ad portum tranquillitatemq; vitæ monastica transtulit, ubi tu, tanquàm in amoenissima paradiso spirituales voluptatis constituta, infinitas sanctæ latio

letitia, bonorumq; operum occasio-
nes haberes. Te graviter peccan-
tem sustinuit long'animiter, & ab
inferni faucibus præservavit. Rex
regum pro te incarnatus est: Crea-
tor tuus pro te frater tuus factus est.
Nec satis illi fuit, ut pro te nasce-
retur, voluit & pati pro te contrista-
tus & angustatus est; pro te tradi-
tus & captus est; pro te ligatus &
malè tractatus est; pro te conspu-
tus, & colaphis alapisq; caesus est; pro te
illusus & despectus est; pro te flagel-
lis concisus, & coronâ spineâ vulne-
ratus est; pro te arundine percussus,
& pondere crucis gravatus est; pro
te clavibus ferreis cruci affixus, & ace-
topotatus est; pro te suum sacrosan-
ctum Sanguinem fudit; pro te mor-
tuus est & sepultus. Ipse te adopta-
vit in heredem regni celestis; ipse ti-
bi promissit, quæ nec oculus vidit, nec
auris audivit, nec cor hominis com-
prehendere potest.

4. Cor. 1.

4.
Expro-
bratio
propria
in grati-
tudinem.
1. Reg.
2.

Ua. 13.

Tu verò dereliquisti & contempsi-
sti eum qui benefecit tibi, abjecisti
sanctum timorem ejus qui dilexit te,
excussisti suave jugum ejus qui elegit
te. Facta es quasi una de filiabus
Belial; iniquitates, tanquam mere-
trix impudens, coluisti sine verecun-
dia. Pepigisti fœdus cum morte; de-
disti manum diabolo; ad omne ma-
lum fuisti paratissima; mala malis
accumulasti, & pessimis pejora ga-
visa es semper addere. Jesum Chri-
stum, qui te in sponsam elegerat,
iterum crucifixisti tuis sceleribus: il-
lus Vulnera tuis criminibus reno-
vast.

Quis dabit tibi gemitus & suspi-

ria? quis dabit fontem lacrymarum,
ut plores die ac nocte tuam ingrati-
tudinem? O te infelicem! & quid
facies? O si innocentiam servasses!
ô si immaculata permansisses! ô si te
ipsam miserabiliter non dehonestas-
ses! ô si à Deo tuo non recessisses! In-
nocentiam perdidisti, maculata es,
te ipsam dehonestasti, à Deo tuo reces-
sisti. O te infelicem! Et quid ages?
ad quem confugies? à quo expecta-
bis auxilium? A quo, nisi ab eo ipso,
quem offendisti? Pyssimus est, benigni-
ssimus est, misericordissimus est.
Humiliare, prosternere, effunde te
sicut aquam in conspectu ejus, & mi-
sererebitur tui.

Speculū
Mona-
choſū.

5.
Forma ad
ſpiratio-
nem.
ad com-
punctio-
nem.
1. Cor. 7.

Thren.
2.

Aliquando ipsa sua lamenta
converter ad Dominum, hæc aut
ſimilia commemorans: Heu Do-
mine mi Iesu! quid feci? quomodo
te dereliqui? quomodo te contempsi?
quomodo nominis tui oblitus sum?
quomodo tui timorem abjeci? quo-
modo legem tuam conculcavi? quo-
modo præcepta tua transgressus sum?
Heu me, Deus meus! heu me, plasma-
tor meus! heu me, Salvator meus!
heu me, vita mea, & omne bonum
meum! Va mihi misero! va mihi,
quia peccavi! va mihi, quia meipſū
ſimilem brutæ reddidi! va mihi, quia
irrationabilior pecude facta sum!
O bone Iesu! ô pie pastor! ô dulcis
magister! adjuva me: erige jacen-
tem, porrige manum periclitanti;
emunda sordidum, sana vulnera-
tum, confirma debilem, salva perdi-
tum. Fateor, non sum dignus quem
terra sustineat, non sum dignus qui
lumen videam, non sum dignus tuo

6.

Conver-
ſio ad
Christum
pro venia
per uehe-
menter
ad ſpira-
tiones.



Speculū
Monachorū.

auxilio & gratiā: magna enim est
mea ingratiudo; magna, & nimis
magna est peccatorum meorū enor-
mitas: verum tamen in immensum
maior est tua misericordia. Igitur,

Marth. 8
Luca 18

amator hominum Deus, & spes mea
ultima, miserere mei secundum ma-
gnam misericordiam tuam, & se-
cundum multitudinem miseratio-
num tuarum dele iniquitatem meā.

Interdum, tanquam ex abrupto
flectens genua in conspectu Do-
mini, affectuose dicit: Domine,
si vis, potes me mundare, vel illud:
Deus propitius esto mihi peccatori.
Vel illud: Miserere mei Iesu, fili
David. Item illud: Domine adiuva
me. Similiter ante Matrem Do-
mini virginem Mariam, & ante
Sanctos Sanctasque Dei cor suum
effundet, suppliciter eorum inter-
cessionem postulans.

D I V I S I O V.

Instructio pro peccatorum examine & expiatione.

1. Quotidianum examen de peccatis.
2. Excitatio ad vitam futuram & gloriam desiderandam.
3. Quanto tempore purgationi peccatorum sit insistendum.
4. Sua cuique capacitas est discretè confideranda.
5. Feruor temperandus.
6. Constantia & ardo in exercitijs assuetudinibus.

1.
Quotidiè
commissio-
rum in
Deum va-
tio sub-
ducenda.

Quotidiè, vel certè frequen-
ter, accepta opportunitate,
recolliget se, & cum profunda
humilitate, firmoque emendatio-
nis proposito, recogitabit atque
sigillatim confitebitur coram Do-

mino peccata vitæ antea factæ; ma-
ximè ea quibus ipsam divinam
bonitatem gravius enormiusque
offendit. Verum tamen in illis
quæ ad lubricitatem carnis spe-
ctant, non indiscretè immorabi-
tur, ne recordatio, & morosior
pertractatio veteris peccati, novū
peccatum per illicitam delecta-
tionem pariat.

In qua confessione, contritio-
ne, sensibiliq; devotione, magis
lugere consuescet, quod erga Deū
Creatorem & Patrem suum dul-
cissimum contumeliosus ingra-
tusque fuerit, quàm quod seipsū
æternis supplicijs obnoxium red-
diderit.

In formulis lamentationum,
piarumque querimoniarum quas
præscripsimus, non hoc spectabit,
ut multas sententias percurrat;
sed quas voluerit, & quot volue-
rit assumere, assumet, nullo etiam
servato ordine. Si unam tantum,
vel duas vel tres elegerit, quas a-
pud se, ubicunque fuerit, iterum
arque iterum reperat, laudabili-
ter faciet: si verò plures maluerit
versare, etiam laudabiliter faciet.

Liberè eum pro sua devotione
agere, & ubique confusionem vel
perplexitatem vitare volumus.
Novi unum, qui exterius occupa-
tus in sua ad Dominicam passio-
nem conversione, inter castas
confabulationes hæc aut similia

pau-
+ Hoc est enim attritio duntaxat proce-
dens ex timore servili; alterum verò est no-
biliores dolor qui vocatur contritio ex ti-
more filiali, ut docet D. Thomas 3. parte in
supplemento quest. 1. art. 3.

Speculū
Mona
chorū.

pautula verba ruminare gaudebat: *O bone Iesu! o pie Pastor! o dulcis Magister! Bone Iesu misere-re mei, pie pastor dirige me, dulcis Magister doce me: Domine adiuva me.* Alter quidā aliquando plura, aliquādo pauciora delectabatur revolvere, & eadem alijs atq; alijs verbis pro suo affectu exprimere.

Compun-
ctio etiā
alio mo-
do ad sei-
ficur me
ditatione
novissi-
morum.

Nolter verò Tyro in his, sicut diximus, liber sit. Qui etiam se ipsum ad compunctionem diligentiamque spiritualis propositi ex meditatione mortis, Purgatorij, iudicij, inferni, & patriæ cælestis excitare poterit, si ita placeat. Quorum quidem meditati-

Timor li-
beraliū.

o, quantò propinquiùs ad timorem^a liberalem, & Dei amorem accedit, tantò ipsi Domino acceptabilior, & ad purificandas animas efficacior est. Rursum, quantò eadem timori illiberali & servili vicinior fuerit, tantò minor utilitas ex ea referetur. Per timorem liberalem metuimus peccare, ne benignissimum Dominum Deum nostrum offendamus, e jus-

Timor
servili,
& quid
is nobis
conferat.

que perdamus gratiam, & familiaritatis benevolentiam: per timorem servilem formidamus malè agere, ne damnis, pœnis & supplicijs afficiamur. Verumtamen bonum est, nos vel per timorem^b servilem à vitijs abstinere; ita tamen, ut ibi non permaneamus,

^a Quem Theologi vocant, noto nomine & re, filialem, ut jam ex D. Thoma ostensum est.

^b Hanc gradationem in justificatione impij notat & declarat Synodus Tridentina sess. 6. cap. 6. & sess. 14. cap. 4. allato etiam Ninivitarum exemplo ex Ionæ 3.

fed inde ad timorem liberalem transeamus.

In meditatione æternæ gloriæ, hæc aut similia apud se pertractabit: *O quam beata est caelestis illa Ierusalem, cuius muri pretiosissimis constant lapidibus, cuius portæ electissimis nitent margaritis, cuius platea mundissimo sternuntur auro, cuius horti flosculis incomprehensibiliter vernantibus adblandiuntur! Ibi vox lætitiæ perpetuò auditur, ibi canticum gaudij sine fine promitur, ibi iubilus exultationis iugiter innovatur, ibi organa Sanctorum semper resonant, ibi cinnamomum & balsamum ineffabilem suavitatis odorem indefinenter spirant: ibi est pax & requies omnem sensum exuperans, ibi est temperies & serenitas omnem captum humanum excedens, ibi est dies æternus, & unus omnium spiritus; ibi est certa securitas, & securitas æternitas, & æterna tranquillitas, & tranquilla felicitas, & felix suavitas, & suavis incunditas; ibi iusti fulgebunt, sicut sol, in regno Patris eorum.*

2.

Æterna gloria in cuncta meditatione. Apoc 21 Symbolica descriptio spiritualium gaudiorum sub velamentis rerum corporaliū.

Philip. 4

Matth. 13.

O! quanta felicitatis est Angelorum choris interesse, cum sanctis Patriarchis & Prophetis, cum sanctis Apostolis & Martyribus, cum sanctis Confessoribus & Virginibus, cum gloriosissima Dei Genitrice Maria, perpetuum habere consortium! non timere, non iristari, non angī, non gravari, non attediari! nullum sustinere laborem, nullum impedimentum, nullum fastidium, nullam necessitatem!

Præsentia Sanctorum, absentia omnium malorum.

O quanta consolationum opulentia!

E ff 3

ria!

speculū
Mona.
chorū.

Omne bo-
num &
elara vi-
sio Dei &
Christi;

Psalm.
83.

1. Cor.
13.

Omniū
sensum
volupta-
tes lon-
ge exce-
dit volu-
ptus Bea-
torum in
celis ex
Deo viso.

tia! *ō quanta deliciarum affluentia! *ō quanta gaudiorum exuberantia! *ō quanta purissimarum voluptatum abyssus, videre lumen illud incircumscriptum, videre lucem illam summè amabilem, videre indicibilem illam altissima Trinitatis gloriam! videre Deum deorum in Sion! videre autem non in enigmate, sed facie ad faciem! Videre item glorificatam unigeniti Dei humanitatem! Nam si dulce est visibilem cali ornatum in-
tueri, micantem stellarum claritatem aspicere; rutilantem solis splendorem cernere, fulgidum luna candorem videre, gratam aëris lucem considerare; avicularum, florum, graminum, & colorum elegantem decorem contemplari; philomelarū & galeritarum dulces cantus excipere; lyra & cithara suavem melodiam audire; rosarum liliorumq; fragrantem odorem haurire; aromatum & pigmentorum eminentem redolentiam percipere; diversorum fructuum deliciosum saporem gustare: si, inquam, dulcedo maxima ex his sentitur; quantus erit sincerissima jucunditatis torrens, immensam illam pulchritudinem perfectè contemplari, perfectèq; infinitam illam dulcedinem gustare, unde omnis pulchritudo, omnisq; dulcedo rerum creatarum profluit atque descendit?***

Corporea
volupta-
tes visu te-
nuer
admir-
brant bea-
titudinē
cal; item.

Nobis quidem aeternae felicitatis, & futurae resurrectionis statum representat verum tempus, in quo novā quādam gratiā, admirabili ornatu, calum, terra, arbores, ac cetera decorantur: verumtamen inter id quod representat, & id quod re-

presentatur, major est differentia, quam inter opaca noctis tenebras, & jubar solis meridiani. Beata igitur, & iterum beata caelestis illa Ierusalem, ubi est omne quod placere potest, & unde abest omne quod potest displicere: ubi in saecula saeculorum feliciter laudatur Deus omnipotens.

Hæc supernæ civitatis gaudia purè frequentare discat, eaque amare & expetere, non tam propter proprium commodum, quam propter Dei laudem & honorem. Quamquam hujusmodi meditatio vitæ æternæ sincerius exerceri poterit ab eo qui jam profecit in interna conversatione, quam ab eo qui vix dum initia propriæ mortificationis attingit, seque potius quam Deum adhuc quærere novit.

In supradictis lamentationibus novus Tyro se exercebit perseveranter ad unum, tres, sexve menses, aut ad annum integrum vel amplius, id est, tam diu, donec senserit mundi sui que contemptum intus utrunq; convalescere, & se ad vitæ spiritualis propositum aliquantulum fervere. Aliqui ægrius, aliqui facilius ad meliora convertuntur: sed & nonnulli à benignissimo Deo liberalissimè præventi, subito innovantur.

Interim quidem licebit ei etiā alijs orationibus, gratiarum actionibus, & divinis laudibus insistere: singularis tamen ejus occupatio erit in rationabili luctu, & peccatorum suorum persecutione.

tionē. Si non invenit lacrymas exteriores, non conturbetur: nam interioribus lacrymis non caret, cui omne vitium verè displicet.

*Quando
altero e-
xercita-
tionu (u-
nitiva
scilicet)
genere sit
utendū.*

Postquam igitur per salutarem fletus seu contritionis amaritudinem, imago Dei interiùs aliqua ex parte reformata fuerit; ipse majore fiducia jam accepta, alterum illud exercitationis exemplum, quod superiùs proposui, utiliùs imitari poterit. Eriget itaque se humiliter, & ad intimiorem cælestis Sponsi familiaritatem ferventer præparabit.

*Qui in fr-
miore &
frigidio-
re est affe-
ctu, qui-
bus fove-
ri pote-
rit.*

Quamdiu autem adhuc infirmior frigidiorque est, sæpè excitabit in se divini amoris igniculum, per seriam incarnationis vel passionis Vnigeniti Dei meditationem, conferens de his suaviter cum anima sua: ex qua meditatione succensus, mox ad orationem & ad aspirationes convertetur, ipsi summo bono spiritum suum per eas unire desiderans.

*Quam fa-
cile sit a-
moris di-
vini exer-
citiū.*

Si perstiterit crebrò hac ratione cor in amorem Dei compellere, eò brevi perveniet, ut statim primæ mentis conversione aut aspiratione, sine præmeditatione aliqua, se à creaturis, earumque imaginibus sejungere, & in suavitate ipsius divini amoris immergere queat.

*Quatenus
peccata
præterita
ad memo-
riam re-
vocanda.*

Deinceps non usque ad eò necesse habebit in sua pœnitentia coram Deo commemorare singula peccata vitæ præteritæ, cordisque intuitum anxie ad ea dirigere; sic enim & libertas, & affectus erga Deum præpedirentur: sed po-

tiùs ad ipsum Deum cor amorosè diriget, detestans interim quidquid ab ipso separare retardareve potest.

Vbi tamen non dicimus, ut quæ peccavit, ea aliquando è memoria sua per negligentiam dilabi permittat: sed volumus, ut illorum † sic reminiscatur, ne ipsa recordatio majori utilitati oblit; itaque summatim potiùs, quàm sigillatim ea Deo quotidie confitebitur.

*Iugis ad-
missorum
confessio
sua Deo
certo
modo fa-
cienda.*

Sanè minora peccata præsentiori remedio in nobis delentur, dum per dulcem & efficacem amoris affectum ad Deum convertimur, quàm dum nos ipsos in eorumdem consideratione & amara punitione morosius occupamus. Projcet igitur illa in abyssum divinæ clementiæ, ut ibi, veluti scincilla in medio maris, depereant. Omnem inordinatam pusillanimitatem, & superfluos conscientiæ scrupulos, perplexamque diffidentiam prorsus reijcere adnitetur, undecunque emerferint. Nam nisi statim amputata fuerint, diversis modis animi alacritatem præfocant, & profectui interno non parùm incommodant.

*Optimum
consilium
pro ijs
quos ser-
pulosos
dicimus,
ut actu
amorosus
contri-
tionis
exercet
potiùs,
quàm do-
loresos
aut timo-
resos an-
xietatū.*

Porro † Hæc & alia monita circa dolorem de præteritis seu condonatis peccatis non deponendum totà vità, reperiet Lector apud Doctores Scholasticos in D. Thoma 3. parte Supplemento, quæst. 4. art. 1. Vtrum tota hæc vita sit contritionis tempus: & art. 2. Vtrum expediat continuè de peccato dolere. Explicatur ibidem ad rem præsentem Ecclesiastici c. 5. De propitiato peccato noli esse sine metu, & producit bis doctrina S. Augustini ex lib. de vera & falsa pœnitentia cap. 13.

*Speculū
Mona-
chorū.*

*4.
Cuique
capacita-
tu sua ra-
tio habi-
da nihil
agatur
supra vi-
res & ex-
tra mo-
dum.*

*Attende
indifere-
te Mona-
che, & no-
li alium
sapere.*

*Humili-
tatem, nō
arrogan-
tiam ha-
beat co-
natus no-
stet.*

*Gratia
Dei plus
inuitatur
quā suo
labori.*

Porro nihil ultra vires attemptabit, sed sua sorte contentus erit. Si non potest eò pervenire, quò pervenire desiderat; laboret, ut saltem eò perveniat, quò pervenire potest. Nisi sibi malè blandiatur, facile agnoscat, quousque procedere valeat. Liberalis tamen, & omninò liberalis est divina bonitas: quæ ubique mentem dignè præparatam invenerit, ibi copiosissimè se infundere gaudet.

Quare si spiritualis Asceta ad sublimitatem contemplationis, perfectæque charitatis nondum admittitur, cogitet se nondum aptum esse, ut tantum bonum accipiat. Et quid ei prodesset eam gratiam percipere, quā non benè uteretur? Festinet omnia vitia radicibus evellere, ut aptior fiat: verumtamen, sicut dixi, virium suarum terminos non excedat.

Ipsam Dei gratiam non tentet impatienter præcedere, sed eam humiliter subsequatur: spiritū, inquam, illuc violenter impellere non conetur, quò nondum ascendere potest: ne, dum temerè præsumit quod præsumere non debet, suā se violentiā deorsum præcipitet, & collisus temeritatis suæ pœnas exolvat. Sic conetur ad perfectiora, ut tamen conatus ejus effrenem impetum & turbulentam sollicitudinem nesciat.

Mensuram gratiæ sibi datæ attendat; memeritque se longè facilius, tutius, compendiosius, & felicius perventurum ad supremū

contemplationis gradum, hoc est, ad mysticæ Theologiæ comprehensionem, si à mera Dei gratia tractus raptusque fuerit, quàm si magno labore suo illuc pertinere fuerit conatus. Discretionè ergò & modum ubique servet, ne per excessum in defectum corruat.

Bonus & dulcis est panis lacrymarum; aliqui tamen eo panem mentem nonnunquam obruunt magis, quàm reficiunt: stetit enim tamdiu & in tanta confractione atque agitatione insistunt, donec & spiritu & corpore sub exercitio nimis extenso aut intenso succumbant. Non tamen negamus, aliquos esse, qui per discretionem, & spiritus sancti adjutorium, diu utiliterque lacrymari possint.

Nonnullos etiam invenire est, qui dum intrus torrente voluptatis Dei inebriantur, seiplos ad majorem impetum intempestive perurgent & extimulant; neque prius ab indiffereta impulsione desistunt, donec læsi confusi que; in se ipsis concidant, † & ad suavitatem gratiæ deinceps percipiendā inepti reddantur. Igitur fervor, seu impetus internus sic semper moderandus est, ut per eum spiritus confortetur, non extinguatur.

Qui bona capitis habitudine sunt, fervidis aspirationibus inter-

† Notabile monitum de impetu spirituali in tempore consolationis non indifferetè extimulando.

*Si
Error
spiritus
quiritur
moder-
du. Lo-
signi
misa
brede.*

*Divis
dulcedi-
na tibi
abutan-
tur di-
salim
si.*

*Deus
in
fervor.*

ferdum acrius & vigorosius infistere possunt: qui verò debiliori sunt capite, maximè quibus per indiscretionem ipsa debilitas accrevit, non nisi placidè admodum se exercere valent. Quin & quandoque simplicem mentis compunctionem, aut meditationem, vel lectionem, tales vix absq; læsione admittunt, etiam dum alibi caput reclinant. Tantam calamitatem parit indiscretionis vitium.

Medela. Non tamen desperent qui in eam venere necessitatem: sed solerter, quantum in ipsis est, subterfugiant læsionis aut confusionis incommodum, humiliterque à Deo sibi id reddi petant, quo se miserabiliter spoliaverunt. Si Deus eos tandem exaudierit, gratias agant: sin minùs, etiam benedicant Dominum; & propter ejus amorem ac beneplacitum patienter tolerare discant miseriam, quam ipsi sibi conciliaverunt.

6. Caveat etiam internus Asceta omnem inconstantiæ & instabilitatis levitatem. Ea exercitia assumat, quæ bona sunt: & in his, quæ assumpserit, perseveret, etiã si aliquando minùs arriserint; ita tamen, ut Spiritus sancti beneplacitum in omnibus sequatur, decreto propriæ voluntatis & ordinationis relicto. Ipse enim Spiritus sanctus diversis modis nos veluti invitare, diversisque semitis ad cellam illam vinariam, & ad thalamum divini amoris introducere consuevit; cujus instin-

ctus ubique animadvertere, promptissimeque sequi debemus, omni proprietate rejeçtj eã.

Quare spiritualis Asceta seipsũ tanquam paratissimum instrumentum Spiritui sancto semper præsentabit: & in quamcunque partem idem Spiritus eum inflexerit, seu applicaverit, protinùs subsequetur. Si quando sursum ad sublimiorem contemplationẽ, & complexum summi boni tractus elevatusq; fuerit, liberè se totum offeret: quòd si runc vel passio Christi, vel quævis alia sancta meditatio & imaginatio occurrerit, non ibi hærebit, sed expeditus eò transvolabit, quòd à Spiritu vocatur.

Quando dubius vacillat in proposito, ignorans quo pacto in inceptis pergere debeat, prudentum, expertorum, & humilium utatur consilio: sic enim magis proficiet, quàm si sibi fidens secundum proprias ad inventiones procederet.

Interim tamen non omittat sollicitè confugere ad orationis remedia, humiliter petens à Domino in omnibus dirigi & illuminari; nequando deceptus, errorem pro veritate sequatur.

Semper autem meminerit, quia nunquam Deo perfectè vacare poterit; nisi cor ab omnibus, quæ citra Deum sunt, liberum & expetitum habeat.

Speculũ Monachorũ.

Cujus dicitur Hui per omnia prærendum.

Pacilans aliorum consilio fulciendus.

Et orationis auditoria.

Libertas ab omni creatura.

DIVISIO VI.

*Lucta tentationum & desolationum
in profectu spiritali sapè
eveniens.*

- 1. Anima proficiens desolationi subtractioniq; sensibilis gratia se præparet.
- 2. Oculos diligentiſſime fugienda.
- 3. Modus pugnandi in carnalium tentationum infestatione.
- 4. Arrogantia & offensio in donis Dei evitanda.

ECCE, mi frater, ut cunque laudisti, quomodo tum incipere tum progredi debeat in internis exercitijs, qui ad eximium aliquem purioris vitæ gradum pertingere vult. Tuum jam erit, hæc non solum audire & legere, sed & opere complere. Quod si feceris, & cælitus advenerit auxilium, jamque interiora tua clarescere, & psalmodia, ac cetera divinæ laudis obsequia tibi dulcescere cœperint: *noli altum sapere, sed time.* Nam etsi dilatato corde viam mandatorum Dei aliquamdiu curris; non tamen tu tibi, sed Deus cor dilatavit: & qui dilatavit, ipse idem, subtractâ gratiâ, permittere potest, ut iterum constringatur. Illuxit tibi sol justitiæ; & mentem tuam veluti squamis quibusdam ejectis serenavit? sed quis prohibebit, ne se abscondat, abscondere si voluerit?

*Devotio-
nis sub-
gratia.* Esto autem paratus: nam abscondet se, & amabili splendore recedente, tibi iterum sensus obtenebrabuntur, atque præpedien-

tur. Sed & nescio quæ immissio. *Psal. 77. High. In tentatio* nes per angelos malos navem peccusculi tui undique contudent. Imò verò usque ad eò fortè invalescet tentatio, ut infernalis profusus judicari possit. Videberis tibi satanæ traditus: & nec os quidem ad laudes Dei aperire libebit. Durabit etiam non parvo tempore ista calamitas: & non semel tantum, aut ter, aut sexies, aut decies; sed sæpius comprehendèris ab ipsa, aliquando quidem vehementius, aliquando verò remissius.

Sed non frangat te hæc res, neque de dilecto quidquam sinistrè suspicatus fueris. Ipse enim tentari te permittit, ut palàm fiat, an verè diligas eum: & ut cæteris, qui tentationibus premuntur, compati discas. Ipse flagellat, & conterit te, ut purget à vitijs, & ad majorem gratiam præparet. Ipse ad tempus quodammodo recedere videtur à te, ut nunquam superbias, sed semper agnoscas quia sine eo nihil potes facere: reverà tamen non recedit à te. His & similibus adversitatibus exercet te, propter inenarrabilem charitatem quâ diligit te.

Nam hac ferè dispensatione cælestis sponſus cum anima fervida ad se conversa uti solet; eam in initijs novi propositi indicibiliter visitat, confortat, illustrat, & suavissimo sui odore recreatam atque illectam post se trahit, eiq; gratanter ferè ubique occurrit: hoc veluti lacte potans novellam ami-

Car. 12. In ista oratione...

Psal. 118. In...

Cibus solidus, seu afflictio animæ dicitur in vita ascetica ad verum utilitatem.

amicam. Postea solidum cibum afflictionum præbere incipit. illique planè ostendit, quanta oporteat ipsam pro nomine suo pati. Jam undique exurgere incipiunt adversitates, molestant exterius homines, conturbant interius passiones; affligunt exterius poenæ, deijciunt interius pusillanimitates; gravant exterius infirmitates, obscurant & obnubilant interius tenebræ; exteriora premuntur, interiora arefiunt; nunc ab anima se abscondit ipse sponsus, nunc iterum eidem se ostendit; nunc eam in calligine & horrore mortis veluti delerit, nunc rursus ad lucis amoenitatem revocat; ita ut verè dictum sit de eo, quia *deducit ad inferos, & reducit.* His modis animam probat, purificat, humiliat, erudit, frangit, dolat, exæquat, lævigat, & ornat.

Animæ fidelis ardens Deo unius, quando graves tribulationes sustinet.

Quod si eam per omnia fidelè, ac bonæ voluntatis sanctæque patientiæ esse, jamque per longam exercitationem & suam gratiam placidè atque affectuosè quaslibet tribulationes ac tentationes portare invenerit; tunc ipsam perfectius sibi copulat, & ad secreta sua familiariter admittit, longèque aliter adstringit, quàm in initijs conversionis fecerat.

Longanimitate animus instabilis firmatus.

Tu ergò nō perturberis, quando vehemens tentatio te flagellat: sed tanquam pignore amoris accepto, fidelis & invictus in agonibus permanset, dicens subinde cum beato Iob: *Etiā si occi-*

derit me, in ipso sperabo. Durante hujusmodi tempestate, durius erit tibi divino Officio assistere, propter nimiam mentis instabilitatem seu obnubilationem. Verumtamen longanimis esto, & placidè fac quod in te est: transibit nox, discedent tenebræ, lux iterum exorietur.

Quamdiu autem adhuc mox est, summoperè cave, ne otiosus & negligens inveniaris. Si non licet orare, psallere, vel meditari; insiste lectioni. Si etiam ad lectionem nauseat animus; scribe, aut in aliquo alio externo opere ad tempus utiliter te occupa, vanarum cogitationum strepitus sedulo interim rejiciens.

Si somnolentia tibi intemperativè molestior est, eaque graviter deprimeris, utilius fortè facies, si loco & tempore permittente, paululum obiterque ad honorem Dei capite reclinato dormitaveris, quàm si inexorabiliter repugnare volueris. Nam si per solum laborem somnolentiam comprimere elegeris, durante quidem labore libereris; sed finito eo, teque ad spiritualia redeunte, facilè revertetur eadem somnolentia. Dormitatio illa & brevis & levis esse debet: ita ut plus minus eo spatio durèt, quo Psalmus unus, aut duo trèsve legi queant; spiritus enim inde veluti renovatus, expeditior atque alacrior resurget.

Ggg 2

Qui

Hæc & alia ex hoc loco sine nomine citat & variè exornat R. P. Thomas à Jesu de Oratione divinalib. 2. cap. 21.

Speculæ Monachorum.

2. Contra otiositatem Otium fallendum per vicissitudinè exercitiorum

Somnolentia ut non semper obsequenda ita pro tempore locique ratione aliquid concedendum.

speculū
Mona.
chorū.

Parcius
tamen
cautiū
ab incipi
entibus
id fiat.

3.
Contra
tentatio-
nes car-
nū reme-
dium. In
tio reijci-
enda.

Quid si
in initio ne-
glexeris.

Ratiō
vincendi
hostem, in
sua car-
nālium
tentatio-
num.

Qui nondum in cibo, potu, & sensibus noverunt esse sobrii si ad prædictum remedium confugerint, timendum est, ne suum morbum aggravent potius, quàm allevient: & in profundum prolixumque somnum prolapsi, tempus miserabiliter perdant per foecordiam.

Adversus eas tentationes, quibus diabolus mentem ad indecentia & vitiosa inclinare nititur, etiam solerter vigila: & ipsas statim in initio, priusquam interiora tua occupentur, reijcere satage. Nam nisi mox primo insultu adversarium repuleris, ingressus intrò repentè animam tuā vinculis injectis colligabit: & tu deinceps libertate viribusque destitutus, ægris resistes.

Verumtamē etiam si negligenter egeris, & ille vincula iniecerit, ne sic quidem dedas te: sed reclama, & vel reptando super terram renitere, Dominumque in fortitudine spiritus exora, ut te vinculis absolutum libertati restituat, aut certè à consensu præferret.

Scito autem, quia eundem adversarium, dum foeda, impia & absurda quæque suggerit, sæpè feliciter vinces, si contempseris,

¶ Quomodo præsens remedium, intentionibus maximè carnalibus, est principis obflare, docet S. Hieronymus fusè in Epistola 22 ad Eustochium de Custodia virginitatis, his verbis: *Nolo sine cogitatione crescere. Nihil in te Babylonium, nihil confusio- nis adolescat. Dum parvus est hostis, interfice: nequicia ne zizania crescant, elidatur in semine. ubi & alia remedia cum suo exemplo profert adversus turpes cogitationes.*

& nihili feceris ejus latratus, sicq; pertransieris; quàm si cum eo diutius disceptare, & iniquum os magno labore obturare paraveris. Dum tamen nimium importunus est, & semel ac denuò repulsus iterum atque iterum insilit, omninò conferendæ sunt manus, ut vel certamine superatus aufugiat cū opprobrio.

Porrò diversis vijs nos aggreditur. Aliquando enim clam, & quasi sub prætextu pietatis insidias parat: aliquando verò palam & aperto furore insurgit. Aliquando sensim irrepit, aliquando subitò & ex insperato irrupit. Aliquando spiritualibus & internis, aliquando corporalibus & externis adversitatibus aut prosperitatibus oppugnat. Quare semper vigilandum, semper ad Dominicæ passionis præsidia confugiendum, & ad Deum lacrymosè clamandum est.

Verum, quemadmodum dicere cœperam, noli altum sapere propter gratiam, quam fortè habes. *Quid enim habes, quod non accepisti? si autem accepisti, non est justum ut glories quasi non acceperis. Cave itaque, ne venito vanæ gloriæ, aut auræ propriæ complacentiæ, fenestram cordis tui aliquo pacto aperias. Vide nere, jactites: vide ne passim ostentare gestias quod accepisti: sed secretum tuum tibi, secretum tuum*

* Ita habetur. Petr. 5. *Vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leorugiensis, sicuti quærens quem devoret.*

Speculū
Mona-
chorū.

tuum apud te permaneat : nisi forte alicui intimo discretoque amico, propter spiritualem utilitatem vel consolationem, humiliter ac verecundè revelandum fuerit : aut alioqui obedientia, seu alia manifesta necessitas, grandisve utilitas compulerit.

Primus
gradus
humilita-
tis, perfe-
rioribus
suis defe-
ctus com-
parato.

Vide ne tuis meritis & laboribus donum Dei accepisse credas; sed potius indignum te iudica (sicut reverà indignus es) omni gratia & consolatione, dignum vero omni confusione atque derelictione. Non compariteris te cum inferioribus & imperfectis, sed cū sanctioribus te confer; ut considerata eorum perfectione, tuam imperfectionem melius agnoscas.

Secundus
humilita-
tis gradus
etiam im-
perfectio-
ribus se
submittere.

Humilia & deice te: constitue te sine fictione infra omnes homines. Et quomodo hoc, inquis, faciam? cū plerique abjecto penitus timore pariter & pudore, perditissimè vivant, quod ego nec facio, nec facere volo. Quid? etiā me illis me subijciam? etiā ne illos mihi præponam? Præpones, inquam. Nam si cogitaveris, quia qui hodiè pessimi sunt, craste perfectiores esse poterunt; & quia, si iidem dona tibi divinitus concessa accepissent, longè sanctius te viverent; tu quoque gravius eis peccares, nisi abundantiori gratia præventus esses:

b Praxim istam solidam & utilem per considerationes pijs hoc loco adductas, humiliandi semet & abijcendi infra pessimos, usurparunt & laudant, tum in vita tum in scriptis, sanctus Bernardus, sanctus Franciscus, sanctus Bonaventura, & alij plures.

si, inquam, hæc cogitaveris, facile animadvertes, quàm sit consentaneum, ut etiam quemlibet peccatorem tibi præferas. O si scires arcana Dei, quàm libenter alijs cederes! quàm libenter ultimum locum teneres! quàm gratanter ad aliorum pedes te dimitteres! quàm alacriter etiam infimis inservires! quàm devotè omnes honorares! quàm affectuosè, sine aliqua mora aut querela obedi- res!

Ceterum adhuc excellentius aliquid à te requiro: nempe, ut non solum infra homines, sed & infra omnem creaturam, propter Deum, te in corde tuo constituas; reputans te cinerem abjectissimū, existimans te indignum quem terra sustineat, & qui lumen videas. Penitus introspecte quàm sis ingratus, infidelis, tepidus, instabilis, miser ac vilis; & ad humillimam illam animi depressio- nem poteris pertingere.

Tertius
& sum-
mus mode-
stiæ seu
humilita-
tis gradus
infra om-
nem
creaturā
se abijcere.

Si antiquus hostis importune pulsaverit ostium cordis tui, suggerens ut te aliquid esse exultimes, vaneque glorieris, & alijs te præponas; repelle insidiatorem, obfera fores: & quamvis sentias immisiones pestilentes, nunquā tamen consentias. Nam si consenseris, si impostori aperueris, & ad illicitas illecebras mentem inclinaveris; jam fidem, quam sponso animæ tuæ dederas, infregisti; jam lectulum dilecti, qui prius floridus erat, commaculasti; nec iterum ad beatissimam familiaritatem

Obstom-
dum occu-
stanter
superbia
suggero-
ri.

Cant. 1.

Speculū
Mona-
chorū.

ratemejus admitti poteris, nisi, eiecto citius adultero, multum te humiliaveris. Et priusquam omnino recipiaris in gratiam, forte necesse erit te dare penas, & aliquamdiu affligi, donec sordida illa oscula, quæ impurissimus nebulo genis animæ tuæ impressit, flagello Dei delera fuerint. Sed de his satis.

DIVISIO VII.

Disciplina victus, vestitus, conversationis.

1. Regula corporali refectiois.
2. Forma religiosa habitus & vestimentorum.
3. Morum gravitas & modestia in gestibus & sensibus.
4. Loquela & silentij discreta moderatio.
5. Recreatio omniaq; externa opera, devotioni commiscenda.
6. Singularitas omnis fugienda.
7. Sicut & censura de aliorum factis aut moribus.
8. Nulli creatura inharendum.
9. Perventer à defectibus teipsum repurga.

1. Refectio
corporali
quali ef-
se debeat.

HActenus quidem diximus, quomodo divino Officio assistere, quæ exercitia interna assumere, & quam rationem observare; quid sequi, quidq; vitare in illis debeas: nunc ad reliqua, quæ dicenda sunt, transeamus. Quantum ad refectioem corporalem attinet, omnem excessum cave: ne prægravatus, ad spiritua- lia exercitia reddaris ineptior. Neque enim fieri potest; non potest, inquam, fieri, quin venter per intemperantiam distentus, animum à Deo, & his quæ salutis sunt, avocet. Præcipue vinum,

Venter
distentus
ineptus
ad Spiritua-
lia.

etiam citra ebrietatem largius sumptum, impedimento est: corpus incendit, interiora confundit, & alacritate spiritus coarctata, pecuinum quendam corporem inducit. Frustrà itaque ad spiritualem vitam assurgere nititur, qui gulam necdum refrenare conatur.

Vitiosa ergò desideria sedulo amputa. An cibus & potus, quo uteris, multum exquisitus sit, aut suavis ex se, tu parum curaveris; si sumi potest, & rationalis est, quid amplius exigit? Monachus diceris: ad mensam accedere debuisti, ut de donis Dei corpus reficeres, non ut voluptatem carnis foveres. Quare, si de victus vititate perturbaris & murmuras, sicut prius dixi, sic & nunc dico, Monachus non es.

Si cordi tuo verè saperet Jesus, quæ eduliorum paupertas palato tuo propter Jesum non saperet? Ipse enim Jesus etiam extremæ inopiæ gratissimum condimentum est. Ama Jesum, & escæ simpliciores tibi non minus, imò verò amplius suaves erunt, quam epulæ Regales. Jesus esuriens, nudo pane sæpè pro te refectus est: Jesus sitiens, aceto & felle pro te potatus est.

Continenter, sensim & moderate cibum porumque sumito, omni aviditate brutali penitus exclusâ. Etiam circa ipsam delectationem naturalem, quam refectio corporalis parit, vigila. Noli hærerè, noli hoc expectare, ut sen-

sensualitatem pascas : nam si illam pascere volueris, ipsa depascet & commaculabit interiora tua.

Neceffitati matri ra confisendum.
Quemadmodum autem sæpè negandum est carni, quod malè concupiscit, ita nonnunquam cogenda est, ut id percipiat, quod percipere non desiderat. Aliquando enim vel tantillum fastidit, quantum naturæ necessarium est.

Cibus lectione iactura aut pia meditatione condiri debet.
Porro vide, ne, dum corpus reficitur, mens jejuna maneat. † Gustent interim fauces cordis tui verbum Dei & doctrinam salutarem, factaque Sanctorum aures excipiant. Si forè ad eam mensam accumbis, in qua lectio sacra deest, tu ne sic quidem animam tuam cibo spirituali priva-veris : sed quantum per silentiū licet, cum ipsa, aut cum Deo intus colloquere, & pium aliquid apud te pertracta.

2. Festiu frugali- tas. Ob- servabi- lu admo- nitio ad dona- abos in habitu ir religio- sis.
In vestitu, sicut & in victu, sobrius esto. Quidquid monasticæ simplicitati contrarium est, id prorsus rejice, contpue, & detestare. Neque vanissimos quosdā infelicissimosq; Fratres imitatus fueris, quos sui status pudet, & suæ iniquitatis non pudet. Si quando egredi, vel ad conspectū sæcularium venire debuerint, videas eos ad inepta curiosaq; proruere : tales & tales vestes, sic & sic aptatas tunicas induere

† Citat hæc sub nomine Blasij R. P. Julius Migronius in Asceticis Tract. 4. par. 1. de de Lectione super mensam c. 3. qualitate 3. 6. 18. & parte 2. cap. 4. 5. 29.

velle: amictum cum regulari mandato, & Patrum ordinationibus convenientem, gestare erubescit. Dumque non ut humiles Monachi, sed † ut delicati venustique Aulici prodeunt; prodigioso spectaculo prudentes quidem homines ad mœrorem & indignationē, diabolū verò ad risum & cachinnos provocant; evidenter hac absurditate declarantes quales intus sint, nempe superbi, molles, & vanā gloriā pleni.

O Monachos à vera religione nimis alienos! O Monachos non Monachos! Ô Monachos dæmoniacos! Hoccine est quod Deo promiserunt, quando per sacratissimum paupertatis votū mundo omnibusque ejus pompis & vanitatibus solemner renuntiaverunt? Hoccine est quod Rex Regum verbo docuit? Hoccine est quod exemplo monstravit, quando panniculis vilibus indutus, præsepe habuit pro cunabulis? quando item veste alba & chlamyde purpurea in opprobriū vestitus fuit? Hoccine est sequi Iesum? Hoccine est inhærere vestigijs Jesu? O confusionem intolerabilē! Ô insaniam extremam!

Attende tibi, Frater, nequando his similis efficiare: quin potiùs contentus esto rationabili vestimentorum simplicitate, sive in monasterio, sive extra monasterium

† Hæc investiva accipienda est de enormi excessu in veste Religiosorum, in quo omnes Religiosi zelum habentes ædificationis inter sæculares, meritò Dacryanum agere plorando debeant.

Detestatio facularitatis in Monachis.

Luc. 2. Matth. 27. Mar. 15.

Dehoratur ab hac vanitate.

Spēculū
Monachorū.

riūm fueris. Nam hoc à te tua professio exigit.

3. *Gessus & sensuum castigata moderatio. Oculorum.*

Vbique, sed maximè in divinis Officijs, visum comprime: neque leviter huc atque illuc sine necessitate circumspexeris: ne videas quod te ab attentione cordisque puritate deturbare possit. Sed, etsi periculum nullum immineat, ipsa tamen disciplina monastica exposcit, ut sive quiescas, sive procedas, verecundos demissosque oculos habere consuefcas. Nunquam curiosè intenderis in faciem mulieris.

Incessus.

^b Incessus tuus non sit nimum celer aut concitatus, præcipuè in Oratorio, nisi fortè aliqua necessitas requirat accelerationem; neque rursus extra Oratorium appareat nimum tardus aut remissus; sed sit modestus & honestus. Totum corpus tuum ubique sub laudabili compositione contine.

Vultus hilaris.

Vultum cum decenti gravitate hilarem coram alijs exhibe, benignam & affabilem omnibus te præbens. Si te vel inuitum aliorum aliqua tristitia oppresserit, eam sic dissimula, ne planè reticus & amarus videaris, ceterisque molestus fias. Quando ridere compelleris, non nisi continenter & monasticè rideto: ita ut risus tuus vix risus dici possit. Cachinum, tanquam ingens propositi tui impedimentum, atque alium

Civiliter dissimulanda tristitia. Ritus monasticus.

^a De oculorum custodia hæc & alia pulchra habentur in Iudoco Loricchio de Cura corporis cap. 6.

^b Idem Loricchius de Cura corporis hæc adfert inter alia aliorum documenta cap. 5. de Incessu.

animæ præcipitium, fuge: sciens, quia risus excussus indisciplinatusque claustra pudoris violat, & dissipatis interioribus, Spiritus sancti gratiam è corde profligat.

Solitudinem, silentium & taciturnitatè præcipuè dilige. Semper paratior ad sermonè audiendum, quàm ad proferendum esto. Non præceps, non turbulentus, non clamorosus, non contentiosus in verbis appareas: sed modestè, verecundè & benignè, sine simulatione, quæ vera rectaque sunt, loquere.

Non, inquam, indecenter vocem eleves, neque rursus sic deprimas ut intelligi vix possis, præsertim si locus, tempus, causa, vel persona cui loqueris, exigit ut clariùs loquaris. Nam vox Monachi, sicut temper quidem verecunda, frequenter autem submissa esse debet, juxta sanctas Religionis ordinationes; ita debet & nonnunquam esse rationabiliter clara.

Non facillè aliquid pertinaciter affirmaveris, nisi fidei negotium, & salutis necessitas cogat. Verùm ubicunque contradictorè habes, ibi vel cede & sile; vel si cedendum silendumque non est, cum modestia & humilitate affirma quod tibi certum est. Sic enim omnis irreligiosæ contentioni occasionem faciliùs sustuleris. Verba tua aculeis careant.

Non libenter ea dicas, ex quibus aut tu laudari, aut alius vituperari possit. Quòd si necessitas

tas utilitasque poposcerit ut talia proferantur, laudabilis pudor, & pura intentio adsit.

*Rugaces
& detra-
horij ser-
mones am-
putandi.*

Fabulas dissolutas, sicut venenum animæ tuæ præparatum, exhorresce: & nugas (dum te præsentem incidunt) si tuleris, vide ne referas. Linguae inepta, indecora, & perniciofa loquenti nunquam consentias. Imò verò dum talia dicuntur, mansuetè rationabiliterq; corripere dicentem, si opportunum vel congruum videtur: si non est opportunum, tu saltem sermonem, quantum in te est, honestè succide, & eum ad alia, quæ mala non sunt, transferre satage. Verbis detractorijs nec aurem quidem accommodes, si fieri potest.

*Etiam in
ipsa re-
atione ser-
monis
ad Deum.
Qui se se
ferre re-
erit, ta-
men sem-
perma-
nent a-
pud se &
cum Deo.*

Recreationibus externis, vel inambulationibus licitis dum uteris, cave ne abutaris: id est, sic circumspicere utere, ut spiritualè profectum adjuvent, non impediant. Potes quidem animum ad honorem Dei remittere, sed eum dimittere non debes: ne dum à teipso expulsus foris vagaris, oblectatio spiritui contraria, seu quævis passio comprehendat te, & interiora tua dissipet, repleatq; amaritudine. Ergò solerter apud temetipsum per argumentosam quandam mentis simplicitatem permanere disce: ut strepitu levium cogitationum, motuque inordinatarum affectionum represso, cor in silentio & libertate custodias. Deus præcipua, vel etiam tota cogitatio tua sit: ne-

* Non enim omnes qui de Deo cogitant, per pleenam & puram erga Deum intentionem cogitant.

que enim hoc tibi ubique satis esse debet, * ut tota intentio sit.

*Speculum
Monachorum.*

Similiter & in quibuslibet alijs exterioribus occupationibus adnitere, ut non solum opera tua propter Dei honorem prudenter, devotè alacriterque cum Martha perficias; verum etiam ut in istisdem operibus, quæ ad honorem Dei sic fideliter agis, mentem à tumultu cogitationum, & confusione rerum sensibilibus imaginatione expeditam, ad Deum seu divinam cum Maria dirigas; maxime si rationabile colloquium, aut alia necessitas non impedit. Martha, quia adhuc per multiplici- tatem variarum cogitationum in sua recta intentione, & suis externis operibus distrahitur, turbaturque erga plurima, quamvis deformis fortè non sit, nondum tamen satis decora est. Maria autem, quia turbas instabilium cogitationum jam declinare novit, & in unitate tranquillitateq; cordis commanens, summo bono adhærere studet, perfectioris decoris est.

*Similiter
& omnia
externa
cum actio
ali intuitu
Dei
perage.
Lucæ 10.*

Igitur in intentione tua, dum exterius occuparis, non tantum rectus & innocens cum Martha, sed etiam simplex & clarus cum Maria esse dilige. *Maria optimam partem elegit, quæ non auferretur ab ea.* Et tu eandem partem elegeris: quam nisi pro modulo tuo tenueris, dignum tua professione fructum non adfers. Ubique ergò simplicitatem mentis chara habeto.

*Martha
& Maria
cohabitatio
in anima
religiosa.
Luc. 10.*

H h h

S i

Speculū
Mona-
chorum

Etiā mi-
nus perf.
Huiusmodi
imitanda
Luc. 7.

Luc. 10.
Ioan. 20.

Deus, nō
oblecta-
tio, quāri
debet.

Humilia
deducunt
ad subli-
mia.

6. Singula-
ritas in
observan-
tijs & au-
steritati-
bus vitio-
sa. Sequē-
da via
commu-
nis, & sin-
gularitas
fugienda

Si parvulus es in Christo, & non vales Mariam mente sublimia penetrantem assequi, imitare saltem eandem humilioribus intentam; imitare eam pedes Domini lacrymis affectuosissimè rigantem, imitare eam verba Domini dulcissimè excipientem, imitare eam Dominum in sepulchro amorosissimè requirentem. Nam & in his simplicitatem mentis habuit: unum amavit, unum cogitavit, unum quæsivit. Imitare autem, non tā ut delecteris, quā ut ipsi Domino placeas. Si enim per oblectationem sensualem principaliter te ipsum in his quæris, non est pudica sponsa Christi anima tua, † sed est vilissima serva peccati, ne dicam spurcissima meretrix diaboli.

Ad sublimiorum apprehensionem per huiusmodi humiliora nonnunquam admitti mereberis; si tamen ea convenit humiliora appellare: neque enim humilia, sed prorsus altissima sunt.

In omnibus, quæ à sinceritate status monastici aliena non sunt, conforma te communitati, vitiosam singularitatem ubique vitans. Et quia habitas inter fratres secundum suavissimam san-

† Severum est hoc monitum, & verum, quando delectatio sensualis est mortale peccatum: item quando evidens periculum est, ne amor iste proprius, principaliter seipsum in tali oblectatione quærens, facile degeneret in amorem diabolicum. Est enim Deus zelotes, nec vult alium aut aliud, præter se, amari; unde vox celebratur S. Augustini: *Mi-ni te Domine amat, qui præter te aliquid amat, quod propter te non amat.*

Regulæ austeritatem laudabiliter viventes, abstinentiæ vigiliæque singulares tibi omninò suspectæ sint: neque notabiliter in eis præ ceteris confratribus excedas; nisi, Spiritu sancto revelante, cognoveris Dei esse voluntatem & beneplacitum.

Sed nec absque Superioris consilio & consentu aliquid attentas: ne, dum corpus ultra mensuram ex tuo sensu affligere præsumis, & ipsum ad bona opera reddas inutile, & te fructu laboris tui penitus prives. Deus puritatem cordis à te requirit, non corpusculi destructionem. Vult ut ipsum Spiritui subijcias, non vult ut operimas.

Igitur in externis, sicut & in internis exercitijs, animi fervorem sancta discretionem tempera. Si voluntas ad virtutem pigrior remissiorque veluti dormitat, excita eam, & adde calcar: si verò habens excusis fertur impetu, reprime, & coercere eam.

Semper cum sancto timore in præsentia Dei tui assiste: semper in auribus cordis tui hæc verba resonent: *Attende tibi.* Non multum curiosè consideraveris quid alij agant, quales sint mores & gestus eorum; nisi fortè ex officio tibi incumbat. Circa teipsum sit curiositas & occupatio tua. Vbi tamen non dicimus, ut aliorum excessus & peccata parvipendas, eaque, quantum in te est, emedare vel emendanda procurare negligas. Curiositatem enim damna-

damnamus, non charitatem & sanctum iustitiæ zelum. Quod in hac parte contra maturam animi stabilitatem, & sinceram proximi dilectionem non est, hoc non vituperamus.

Qualem te geras arguaturum de seculo.
 Ipsa vitia quæ in alijs vides, & de alijs audis, aut non esse omnino vera simpliciter putato, aut certe in meliorem partem ea interpretare. Quod si tam manifesta sunt, ut in bonam partem interpretari nulla ratione possint; ad spectum tuum cogitationemq; tuam ab illis separare stude: sed ad tua ipsius peccata conversus, tam pro te, quam pro eis, Deum humiliter deprecare, si datur opportunitas. Sic enim suspiciones inquietas, & temeraria iudicia facilius effugies.

Aliorum defectibus non insultandum, sed ingemiscendum.
 Cave item summopere, ne de alicujus peccato etiam leviori, aut de quavis aduersitate unquam gaudeas, ratione consentiente: verum ingemisce coram Domino pro fratre tuo, recogitans quia sumus invicem membra & unum corpus, omnes eodem Sanguine redempti. Disce non indignari, sed compati defectibus aliorum, eosque æquanimiter portare, siue corporum siue animorum defectus sint. Scriptum est enim:

Ephes. 4.
 Gal. 6. *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.*

Aliena bona congaudentes sunt nostra.
 Quidquid autem cælestis gratiæ in alijs animadvertis, id non ad livorem satanicum, sed ad fidelem imitationem, piamque aggratulationem te excitet. Et quæ

vis spirituale bonum, quod alium possidere cognoscis, ipse non possideas; lætare tamen apud temetipsum, quod Deus per illud honoretur; neque segnius gratias egeris Domino, quam si tuum foret bonum, & reverà tuum efficietur bonum, coronaberisque de alieno tanquam de proprio; imò verò & proprium erit.

Sic animum institue, ut mundo neque placere affectes, neque displicere pertimescas. In homine etiam propinquissimo nihil dilexeris præter Deum, seu Dei gratiam atque opificium: & rursus nihil oderis, præter vitia. Nullus sit, quantumvis affinis, familiaris, aut de te benè meritus, in cuius gratiam paratus sis etiam levissimè Deum offendere; vel cui in aliquo peccato favere, adulari, & applaudere velis.

Nullius hominis præsentiam aut alloquium anxie expetieris, nisi spiritualis profectus gratiæ: quanquam ne sic quidem perplexa anxietas bona erit. Omnes ama, sed spiritualiter, non sensualiter. Ita enim fiet, ut neque de corporali absentia iustorum vel amicorum inordinatè angaris, neque de corporali præsentia peccatorum aut inimicorum indecenter affligaris. Imò nullum habebis inimicum, sed etiam persecutores tuos, tanquam charissimos salutis tuæ promotores, diliges.

Quidquid in creaturis, vel ex naturali dispositione, vel ex hominum arte seu industria delectabile,

Speculū Monachorū,

8.

Soli Deo placendū non autē creaturæ ulli, nisi per illum. Si pura dilectio gradium.

Omnes spiritaliter amare, neminem sensualiter.

Creaturarum & cor ad eum referendum.

Speculi
Mona-
chorū.

bile, singularique admiratione dignum conspicis, audis, & percipis, id ad summi Creatoris laudem, aut ad æternæ beatitudinis statum purè refer; ut delecteris in Domino. Semper tibi suspecta fit delectatio sensualis, undecunque etiam emerferit: nam si per eam te quæseris, illique inhæseris; in viscaberis, & maculaberis.

Psal. 36.

9:
Seria &
feruens
omnium
defectuum
emendatio. In defectibus
absit pusillanimitas, ad sit fiducia
Dei.

Omniū peccatorum, etiam levissimorum, affectum prorsus detestare: quibus tamen fortè præoccupatus si ex fragilitate decideris, noli inordinata pusillanimitate te ipsum intempestivè affligere, sed humiliter confitere culpam coram Domino; & renovato proposito, fiduciaque piè resumptâ, omnes defectus tuos in abyssum misericordiarum ejus, aut in sacrosancta Vulnera ipsius affectuosè projice. Quamdiu in luteo isto corporis habitaculo degis, minorum peccatorum affectus in te mortificare potes, lapsus in totum cavere non potes.

Pij Monachi a
perverſis
in odio &
fuga pec-
cati di-
ſcrimi-
nantur.

Pij Monachi, etsi nonnunquam vel etiam frequenter deliquunt; delinquere tamen & oderunt, & cavent semper, dolentque postquâ offenderint: perverſi verò Monachi, & delinquunt, & delinquere nec oderunt, nec cavent; ^b leviorum enim culparum nec affe-

^a Sic accipe verba S. Jacobi Epistolæ cap. 3. In multis offendimus omnes: & damnat Synodus Trid. s. H. 6. can. 23 afferentes, posse omnia peccata venialia totâ vitâ, absque speciali Dei privilegio vitari.

^b Adspice & abominare turpissimum schema perverſi Monachi hic expressum nativis coloribus, quod deplorat Daerianus.

ctus extinguere, nec occasiones vitare laborant. Libertatem laxioris vitæ desiderant; à divino Officio ceterisq; actionibus Conventualibus abesse gaudent; delicatum superfluumque cibum aut potum percipere gestiunt; opportunitates nugandi exquirunt; inordinati risus solatia affectant; sæcularia audire, vana videre, curiosa in suos particulares usus accipere ardent. Propriam complacentiam, ineptam lætitiâ, otium, vaniloquia, fabulas, gestus incompósitos, ceteraq; hujusmodi vitia, aut non esse vitia, aut vix esse vitia judicant, sine scrupulo conscientia ea admittunt. Nimirum insensibiles effecti, vulneribus acceptis, se sanos existimant: ob idque nec mala sua plangere, nec vitam corrigere student. Sed quid dicunt? Non sunt, inquit vulnera; aut si sunt vulnera, admodum parva, & ferè nulla sunt.

O Monachos infelices! O Monachos dementes! O Monachos non Monachos! Nam quantumlibet parva vulnera videantur; quia tamen nec cavent nec ea suscipiant; nec, postquam susceperunt, debitam curam adhibent; omninò mortifera † redduntur: ut interim omittam, quod etiam ex tali negligentia frequenter ipsi in

† Venialia Peccata si (ut hic dicitur) magno numero committantur, & vilipendantur, disponunt animam quàm proximè ad peccatum mortale; non quod peccata ulla venialia, quantumvis multa & gravia, fieri possint formaliter mortalia, juxta communem sententiam Scholasticorum apud Thomam 1. 2. q. 88. art. 3. 4. 5.

in superbiam, rebellionem, inobedientiam, murmurationem, furorem, detractionem, odium, invidiam, contemptum, gulam, & alia enormia peccata corruant.

Mortatio ad fugiendos mores peruersorum Monachorum

Noli, Frater, noli hos imitari: neque enim ex veris Crucifixi discipulis, & dilectis Dei amicis sunt: sed nec esse poterunt, quamdiu non deserint tales esse, quales sunt. Tu tibi melius prospice: relinque, amove, dissipa, respue quaecunque te à divino amore vel minimum retardare possunt. Per omnimodam tui mortificationem, tanquam per certum unicumque compendium, ad perfectionem vitæ festina.

DIVISIO VIII.

Compendium ad perfectionem, mortificationem; & quomodo exercitia diei sanctè terminari debeant.

1. Abnegatio sui & humiliatio compendio perducit ad perfectionem.
2. Felix status anima verè expropriata.
3. Monachus ex voto professionis tenetur tendere ad perfectionem.
4. Exhortatio ad diligem conatum, cui gratia auxilium nunquam sit defuturum.
5. Examinis vespertini ante somnum puncta, & conclusio Speculi.

I. VIS paucis audire quæ sit omnimoda tui mortificatio? Vis audire certum illud compendium? Ego dicam, ego monstrabo: intende igitur. Omnem proprietatem exue, ecce compendium. Omnem proprietatem exue. Et quid est hoc? Omnem

Expropriatio, seu perfectæ proprietatis abjectio, compendium ad artem perfectionis.

propriam voluntatem, seu quæstionem exue: totum veterem hominem exue.

Speculi Monachorum.

Sed, ut melius intelligas quod dicitur, ego idem paulò diffusius proponam. Adtrinxisti te ad paupertatis observantiam? pauper esto. Quomodo pauper? Pauper rebus; magis tamen pauper rerum affectibus, & animi passionibus; pauper spiritu. Si adhuc aliquid per proprietatem affectus atque sensualitatis amas aut desideras, si adhuc in aliquo te quæris, nondum voluntariè, nondum verè pauper es; nondum cum beato Petro dicere Deo potes, *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Expedi te, relinque omnia, exue omnem proprietatem. Quidquid Deus non est, id in corde tuo per adhæsiōem, sive inordinatam implicationem non fit. Ab omnibus, quæ citra Deum sunt, liber esto: ira ut neque ineptè gaudeas propter læta, neque inordinate deijciaris propter tristia. Et, sive non acceperis quæ nondum habes, sive perdideris quæ jam habes, stabilem tranquillumque mentis statum utrobique serves.

Veterem hominem exue per expropriationem. In quo consistat hæc sui expropriatio, fuse & clare docetur.

Matth. 5.

Matth. 19.

Omnia, inquam, sensibilia & te ipsum prorsus abnega propter Deum. Quod perinde est, ac si diceretur: Vim concupiscentiæ, delectationis, iræ indignationis, que naturalis in te mortifica: & in omnibus, tam adversis quàm prosperis, te in divinum beneplaci-

Quid se abnegare & omnia relinquere?

Hhh

speculū
Mona-
chorū.

placitum sine aliqua voluntatis
contradictione resigna.

*Idē sunt,
abnegatio
humilia-
tio, &
mortifica-
tio.*

Demonstravi compendium,
ostendi que omnimodam tui mor-
tificationem, omnimodam esse
proprietas abjectionem, hoc est,
omnimodam tui humiliationem.
Reverā enim perfecta humilitas,
ipsa est istud compendium, per
quod rectā ad perfectionis arcem
pervenies. Hæc autem arx, per-
fecta charitas, seu puritas est.

*Quo indit-
cio digno
scamus
nos atti-
gisse per-
fectionis
charita-
tu per om-
nimodam
abnega-
tionem.*

Et quo, inquis, pacto cogno-
scam, an ad eam arcem pervene-
rim? Ego etiam id tibi manife-
sto. Si in silentio cordis tui, tan-
quam in portu tranquillissimo,
assiduè commanens, mentem ab
omni inordinata cura, affectione,
pressiori que imaginatione rerum
infimarum, ab omni denique in-
quietudine & tumultu absolu-
tam, in Deum affectuosè dirigis
ac reclinas; ita ut memoria tua,
intellectus tuus, voluntas que
tua, id est, totus spiritus tuus, ipsi
Deo feliciter uniatur, prædictam
arcem tenes. Ista enim totius
perfectionis summa est.

*Quatenus
etiam in
hac vita
continuo
possumus
Deo in-
hære.*

Quamvis autem Dei theoriæ
& speculationi per præsentem in-
tuitum atque memoriam jugiter
inhærere non possumus, carne cor-
ruptibili adhuc circumamicti: hinc
tamen nos per intentionem sem-
per fixos esse convenit, & huc, ve-
luti ad scopum, sedulò mentem
revocare debemus, quoties per in-
tempestivas, leves incompositas-
que cogitationes defluimus. Quā-
do legendo, meditando, scriben-

do, audiendo, loquendo, quæli-
bet theoretica & spiritualia utili-
ter sinceriter que tractamus, non
elongamur à contemplatione
Dei: sed nec quando externa
quæque cum simili sinceritate &
sobrietate suis temporibus pro
necessitate audimus, loquimur &
cogitamus, procul à Deo recedi-
mus.

O te eximium philosophum! 1.
ô te sapientem! ô te insignem
Theologum! ô te ter quater que
felicem & beatum! si hæc non
tantum aure corporis, verum e-
riam aure cordis percipis; atque
ad veram tui mortificationem ac-
census, radici arboris securim ad-
moves. Quænam est hæc arbor?
Ipsa proprietas, de qua paulò antè
loquebamur. Quænam est se-
curis? Ipse fervor spiritualis in-
ternique exercitij. Præcipuè ta-
men 1 assidua Dominicæ passio-
nis pertractatio, & 2 crebræ ad
Deum adspirationes, 3 cū prom-
pta obedientia, 4 rationabilique
victus sobrietate, securis sunt.
Profectò securis acuta, securis be-
nedicta, securis gratissima, secu-
ris omnium bonorum totiusque
puritatis conciliatrix, securis au-
ro fulgens, & gemmis ornata.
Arbor verò arbor maledicta, ar-
bor amarissimis fructibus plena,
arbor omnium malorum, omnif-
que inordinationis productrix ac
nutrix, arbor obscura & tenebro-
sa. In te est ista arbor, sicut & in
ceteris omnibus: in te est, & quam-
diu permanferit in te, perfecta lux
non

non erit in te. Si igitur serenissimum Solis justitiæ jubar clariùs intueri desideras, detrunca arborem, & projice abs te. Crassa

Nec primo ictu cadet, sed est opus perseveranter se care.

duraque admodum est; non primis ictibus, nec primo die, nec fortè primo anno, nec fortè multo tempore profus deijcietur: perseverantia & longanimitate opus est.

Mens ab omni proprietate nudata, facillime unitur Deo.

Quemadmodum autem aurum deorsum, & flamma ignis sursum, ablato obice, naturaliter fertur: ita mens, quæ ab omni proprietate jam defæcata depurataque est, & solum divinum beneplacitum quærit, naturaliter in suam originem, nempe Deum, elevatur, eique, liberiùs unitur. Mens verò, quæ aliqua ex parte tantùm nudata est, quamvis & ipsa in suam originem tendat, candoreque lucis æternæ desuper aliquo modo illustretur: quia tamen impedimentum omne necdum ablatum est, non potest liberè in ipsam lucis æternæ abyssum transire, fluere, & absorberi; hoc est, non potest liberè uniri Deo summo bono suo.

Multa tamen probationes & afflictiones debent pervenisse, ut ad hanc nuditatem perveniat.

Porro licet benignissimus Deus aliquos ad amorem sui placidiori quadam viâ, absque multis tentationibus nonnunquam sublevert; nemo tamen, quantumvis donis spiritualibus ditetur, facile confidat, se ad consummatam resignationem sui pervenisse, nisi re ipsa plurimas gravissimasque adversitates sustinuerit, & in earum toleratione perfectam men-

tis quietem libertatemque servaverit.

Speculū Monachorum

Multi sanè, quamdiu nullas increpationes, nullas injurias, nullas damna, nullas tentationes & molestias accipiunt, devoti, patientes, humilesque videntur: sed ubi increpationibus, injurijs damnis, tentationibus atque molestijs attracti fuerint, mox per murmurationem, indignationem & impatientiam superbè demonstrant, quàm intus immortificati sint. Ergò priùsquam aliquis ad veram sui abnegationem pertigisse credi possit, necesse est eum multifarias adversitates animo voluntario & tranquillo percepti.

Festus latens in animo non expropriato.

Qui nondum afflictionibus exstè à Deo probatus est, cogitet se nondum eò promovisse, ut eas perferre possit: nam si eò promovisset, ipsi proculdubid occasiones diversarum tribulationum non deessent. Gaudet enim Divinitas animam secretiùs perfectiùsque sibi junctam multiplicibus afflictionibus, tanquam pretiosissimis margaritis, exornare, & ita eam ad veram Jesu Christi similitudinem perducere.

Deus afflictionibus amicor suos probare gaudet.

Qui ergò, proprietate exuta, voluntatem suam voluntati ordinationique divinæ in omnibus omninò conformat, æquè paratus quamlibet adversitatem, confusionem ac dulcedinis internæ subtractionem propter Deum suscipere; sicut cujusvis prosperitatis, honoris, & devotionis af-

Liber à proprietate, Christiana pietas apertum attrahit. & factus est in terra per unionem mysticam Angelus Dei formatus, Matth.

fluen-

13.

Speculū
Monachorū.

fluentiam : qui, inquam, ad hoc pervenit, ut omnem tentationem ac tribulationem cum quodam sapore interno & gaudio portare possit; is pretiosam margaritam invenit, is ad supremum perfectionis culmen pertigit. In omni enim loco & negotio Deo unitus est, menteque in eum dulcissimè fuit. Tota die purus, tranquillus, simplex, lætus, & suavis in lumine vultus Domini ambulat: tantaque facilitate summæ contemplationi inhærere potest, dum inhærere vult, quanta facilitate vivit & spirat. Quid in hac valle miseræ cælitus accipiat, & ad quæ Deus familiariter eum admittat, non est nostrum dicere: ineffabilia enim sunt. Det gloriam Deo qui talis est, fateaturque quia Iesus Christus suscitavit à terrainopem, & de stercore erexit pauperem, quando de homine immundo hic in terris Angelum fecit Deiformem.

Psal. 112

3.

Monachus ad perf. Fionem nisi debet ex vi sue professionis.

Nempe Religiosi ex voto non tenentur esse perfecti, sed esse conati.

Dicis tu fortè mihi: Perfectio hæc exaltata est à me, idèò non extendam me, neque conabor illam apprehendere, ne in vanum laborare videar. Ego verò tibi respondeo, quia si hoc facis quod dicit, Monachus non es. Quamvis enim obligatus non sis ad perfectionem pervenire; es tamè ex professione obligatus adniti, quantum in te est, ut ad illam pervenias. Blandire tibi sicut blandiri vis, persuade tibi quòd persuadere vis, confinge & prætexe excusationes quas confinge-

re vis; obligatus es ad perfectionem pro viribus tendere. Sic est, & aliter non est. Si id hæctenus ignorasti, ecce jam non ignoras. Adstrinxisti te, obligasti te: adstrictus & obligatus permanebis.

Non possum, inquis, ad tantam perfectionem pervenire. Quid sibi vult ista diffidentia? An ignoras, divinam virtutem plus posse efficere, quàm humana infirmitas possit vel cogitare?

Fateor, non potes per te pervenire, sed Deus potest te perdere. Crede Deo, spera in Deo, non in te: confide in gratia & adjutorio Dei, non in conatu tuo. Verumtamen ut Deus tibi adsit per gratiam, vide ne tibi desis per socordiam. Fac quod in te est; exere manus, extende brachia, confirma animum ad vitiorum destructionem, ad perfectam tui abnegationem; collige cor, produc affectum, eleva mentem ad æternorum contemplationem; præsentiam Dei ubique attendere consuesce.

Quod ut melius præstare possis, lingulis diebus aliquam Dominicæ passionis partem (licet exemplo in medium adducto superius * demonstravimus) tibi propone, & ad eum internum intuitum sedulò dirige: dulcia interim cum Jesu, vel cum anima tua de Iesu miscens colloquia. Tuam, inquam, cogitationem in re aliqua divina jugiter, quantum commodè fieri potest, occupa. Hic sit scopus tuus, hæc sit desti-

destinatio mentis tuæ, ad hoc quieta pacidaque sollicitudine labora indefinenter.

Perseuerantia reddit viam perfectionis facilem & iucundam.

Et quamvis vel singulis, ut ita dicam, momenti distraharis, decidasque ab intentione; non id te frangat, non in pusillanimitatem adducat: sed constans esto, & semper in idipsum revertere. Omnino laboris improbitate vinces difficultatis molestiam. Quin etiam ipsum laborem brevi mitiorem & gratiorem experieris: regeneratusque in novitatem inexpertæ lucis, gustare incipies delicias Sanctis repositas. Non jam eris qui prius eras; sed feliciter mutatus in alterum virum, & Angelicâ quâdam gratiâ investitus; magni facies quæ prius contemnebas, & contemnes quæ prius magni faciebas. Quod malè placuerat, displicebit; & placebit quod malè displicuerat: promptissime gratanterque portabis, quæ antea importabilia videbantur. O iucundam metamorphosin! ô mutationem dexteræ Excelsi! Tandem verò, laudabili consuetudine in naturam transeunte, divinoque amore intima perfectius occupante, nec laborem quidem senties: sed quem admodum prius sordida, impura, absurda, inepta, vana, instabilia, somnioque similia, sine labore cogitabas: ita jam Deo divinisque rebus sine labore inhærere poteris. Necesse est enim mentem in id assidue reflecti, quod cor impense diligit.

Væ, & iterum vae peruersis, tepidis, negligentibusque Monachis; Monachis nomine, vitâ non Monachis: qui status sui reverentiâ contemptâ, votisque violatis, in torporis, vanitatis, & passionum sterquilinio jacere neque erubescunt, neque formidant.

Speculatio Monachorum.

Execratio in Monachos peruersos.

Beati autem, & iterum beati Monachi illi, qui etsi pusilli imperfectique sunt, ad perfectionem tamen pro viribus adspirant & contendunt. Nam & ipsos ex adoptivis Dei filijs esse constat, quos pius Salvator Jesus consolatur, dicens: *Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Securi expectent mortem, etiamsi adhuc in initijs sancti propositi sint: quia pretiosa erit in conspectu Domini. Securi expectent mortem; imò non mortem, sed somnum pacis, sed mortis terminum, transitumque de morte ad vitam.

Laus Monachorum, qui pro viribus ad optima continentur.

Luc. 12.

Psalm. 115.

Quid ais, mi frater? adhuc dubitas? adhuc fluctuas? Age, precor, & tanta securitate accepta, viam salutis arripiens, animam tuam intrepidè ad tentationes præpara. Nulla difficultatis species te absterreat. In omni adversitate, quam vel intus vel foris sustinere contigerit, dic gratanter, *Domini voluntas fiat.* Etiâ si multum diuque sudare, & graviter eluctari oportuerit, priusquam veterem hominem profus pervincas ac supplantas, ea res nequaquam te perturbet: non labo-

4. Exstimulat irrepidum ad difficultates concutandas. Eccl. 2.

Act. 21. Non timeat divina signa.



Speculū
Monachorū.

rem, sed laboris fructum attende.

Auxiliū
divinum
ascendet.

Aderit, mihi crede, aderit laboranti superna pietas, & ubique benignissimè subveniet: metuentem confortabit, vacillantem confirmabit, impulsū suscipiet, labentem apprehendet, lapsū eriget, mœstum consolabitur; infundet subinde dulcedinis internæ unguentum pretiosissimum.

Constantia requiritur.

Quòd si perseveraveris, vires tentationum viribus divini amoris necessariò cedent: jamq; ipsæ tentationes & tribulationes, non graves & amaræ, sed leves & suaves erunt. Tunc demum videbis omne bonum, paradisumque etiam in hac vita invenies.

Exod. 33

Desertores & retrogradi non avertentur.

Hoc, inquam, fiet, si persevereris, & ex eorum numero non fueris, qui benè quidem incipiunt, verum satanicis illecebris delusi, vel tentationum laborumq; molestiâ fatigari, leviter postea deserunt propositum. Pondere tribulationis premi nolunt: ideoq; tempore afflictionis scandalizantur in Domino, & recedentes ab eo, quasi dicere videntur, *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* Edificant nimirum non super firmam petram, sed super arenam instabilem; ob idque ad ventorum flatus & fluminum impetus facilè corrui eorum ædificium. Utinam tamen ruinas ipsi suas attendant, & ne sic quidem abijciant animum; sed collapsam structuram innovare festi-

Ioan. 6.

Matth. 7

ad se eriguntur.

gent, non jam in arena, verum super petram fundamenta jacentes.

gent, non jam in arena, verum super petram fundamenta jacentes.

Mi frater, si (quod Deus avertat) contigerit tuum ædificium collabi, in taura statim opus directum, & feliciter reedifica, quam prius ædificaveras. Etiam si bis, etiam si decies, etiam si centies, etiam si millies & sæpius corruerit: toties repara, quoties corruet. Nunquam de Dei misericordia desperaveris. Neque enim innumerabilis horrendorum enormiumque criminum multitudo sic Deum nobis reddit implacabilem, sicut unica desperatio. Nam qui diffidit de venia, Deum misericordem & omnipotentem esse negat, in Spiritum sanctum blasphemus est. Non tam parati ad peccandum esse possumus, quam ipse Dominus paratus est ad miserendum: si modò longanimitate ejus non fuerimus abusi, id est, si verè & tempestivè pœnitere voluerimus. Ita sentire debet, quicumque Christianus est.

Sed ne nimia prolixitate displiceant quæ à nobis dicuntur, retrahendus calamus, cursus conceptæ navigationis sistendus est. Interim autem, dum vela complicantur, non fuerit inutile breviter perstringere, quid in fine cujuslibet diei agere debeas. Quotidiè igitur, priusquam quieti nocturnæ te tradis, seriò quidem, sed absque mentis inordinata dissipatione, recogita in qui-

Specul^{us}
Mona-
chorū

2. quibus eo die deliqueris; 2. ve-
niamque à misericordissimo Deo
3. precare; 3. proponens deinceps
meliùs vivere, omneque vitium
4. vitare diligentius. 4. Deinde, ora
ut in ipsa nocte conservare di-
gnetur ab omni inquinamento
mentis & corporis: commendans
illi, sacræque ejus Genitrici, ac
sancto Angelo Custodi, animam
5. tuam, & corpus tuum. 5. Lectu-
lo tandem conscenso, muni te
signaculo Dominicæ Crucis: &
corpusculo honestè pudicèque
composito, suspira ad dilectum
tuum, aliquid divinum pertra-
ctans, donec somnus placidè se
infundat.

Somnus
causatur.

Qui somnus si profundior fue-
rit, ipsique corpori gravamen po-
tius quam requiem præstiterit;

si etiam per lubricas illusiones a-
liquid minùs honestum excita-
verit aut produxerit; non absor-
bearis tristitiâ, sed humiliter in-
gemisce coram Domino; suppli-
cique oratione postula, ut tibi
concedat victus sensuumque sob-
rietatem, quam somni sobrietas
corporisque puritas consequi so-
let.

Hæc habui, mi frater, quæ ti-
bi transmitterem. Speculum pe-
tisti; vide, an Speculum acce-
peris. Si tuo desiderio vel in mi-
nimo satisfactum est, benedictus
Deus; sin minùs, etiâ Benedictus
Deus. Dedi quæ dedit mihi
ipse Dominus. Ceterum qualia
qualia sint, rogo ut ea non-
nunquâ relegas. Vale,
& ora pro me.

Conclu-
Speculi.



HLUDOWICI BLOSI
INSTRVCTIONIS
VITÆ ASCETICÆ

PARS SECVNDA.

SIVE

ENCHIRIDII
PARVVLORVM

LIBRI DV O.

PRÆFATIVNCVLA
A V C T O R I S

AD VTRVMQVE LIBRVM.



NACTVS ^a spiritualem Epistolam D. DACRYANI Abbatis, non potui mihi temperare, quin singulis quibusque documentis Appendices subijcerem: humili impolitaque dictione promiscue congerens ea quæ à proposito non videbantur aliena. Addidi similis dictionis Tractatulum, quo volui perstringere qualemcurque rationem præparandi se ad felicem mortem, nonnullaque dicere de Patria celesti, item de Divinitate & creatura rationali.

In il-

* Animadvertendum hic occurrit, D. Blosum hanc Epistolam XII. Documentorū, quamvis à se reverà composiram & dictatam, voluisse tamen evulgare (ut Speculum Monachorum) etiam sub assumpto nomine D. Dacryani. Nec obstat, quòd ait, sese nactum esse spiritualem Epistolam D. Dacryani: tum quia Auctor libri alicujus verè potest dicere sese nancisci librum suum; tum quia assumptam semel justis de causis simulati Dacryani personam, tali loquendi formulâ, verus Auctor Blosius, latendi studio, constanter agere & peragere potuit. Si placeat amico Lectori plura in hanc rem videre, consulat in Prolegomenis Articulum sextum & septimum.

In illis Appendicibus, & hocce Tractatulo, plerisque locis utor non solum eisdem sententijs, verum etiam eisdem verbis, quibus usus sum in Canone vite spiritualis, superioribus annis à me divulgato: sed ea quæ bona sunt, sæpius repetita, displicere non debent.

Datur causa cur aliqua interdum repetuntur hic & alibi.

Postremo loco adjeci aliquot pias Pretiunculas & Doxologias ad Deum ac Deiparam Virginem MARIAM. Parvuli utilitatem aliquam ex his fortè capient, quod utinam benignus IESVS concedat ad sui laudem æternam!

Cur addita Pretiuncula.

Observa, Lector, etiam in Consolatione Pusillanimum & alibi, nonnullas ex his Appendicibus & Tractatulo sententias subinde totidem verbis recurrere, & crebrò R. D. Blossium Per diversos libros eadem Documenta per eadem verba inculcare. Bene quidem eadem iterando fecit Blossius: nos tamen, ubi eadem sententiæ seu alijs seu iisdem verbis à Blossio repetuntur, quando Notas aliquas ad illustrandam vel exornandam Blossij doctrinam semel apposuimus, non putavimus ubique Notas easdem repetendas, ne molestiam, eadem sapè ingerendo, adferremus. Hoc monere volumus, ut si quis fortè cogitet aliquando nonnulla Blossij Opuscula seorsim divulgare, in quibus ejusmodi Notæ repetitæ non fuerunt, ille ex loco, ubi appositæ fuerunt, ad locum separati Opusculi, ubi prætermittæ fuerant, velit transferendas curare.



ENCHIRIDIUM
PARVULORVM
LIBER PRIOR.
CONTINENS

EPISTOLAM XII. DOCUMENTORVM
A LVDOVICO BLOSIO
SVB NOMINE D. DACRYANI ABBATIS
CONSCRIPTAM
CVM XII. APPENDICIBVS.

EPISTOLA.

Salutar
Lectorem
& excu-
sat se cu-
animi da-
missione
ob consi-
pta Docu-
mentis qua
sequun-
tur duo-
decim.

DOMINVS noster IESVS CHRISTVS, qui parvulos & verè humiles mirifica dulcedine reficere, inenarrabiliq; gaudio ac lumine exhilarare consuevit, intima tua caelesti benedictione & gratia replere dignetur. Cha-



rissime, dum petis à me doctrinam aliquam, quæ tibi per iter vitæ spiritualis ad pacem filiorum Dei tendenti possit esse adminiculo, tu postulas panem ab eo qui valdè inopsest, & tecum pane indiget: sed dives ille, à quo omnes alimenta accipiunt, me & te pascat, donans atque inspirans ea, quæ scribere debeam in meam & tuam utilitatem. Igitur si perfectiorem animi tranquillitatem obtinere, & CHRISTO Domino singulariter acceptus esse cupis, cura ut sedulò observes (quantum in te est) paucula Documenta quæ sequuntur.

DOCUMENTVM I.

1. Pura beneplaciti divini intentio.
2. Mundicordia, custodia innocentie.
3. Libertas spiritus.

In omnibus quæ agis, tractas, laut loqueris, honorem Dei per sanctam intentionem purè quære: & custodiendæ cordis munditiei, libertatiq; invigila.

APPENDIX.

Tria continet fundamenta vite spiritualis.

1. Pura intentio beneplaciti divini, vel minima opera nobilitat: etiam ea, quæ alias facimus ad honestam communitatem aut licitam voluptatem corporis nostri.
2. Puritas & mundities interna, quomodo acquiri debeat & conservari.
3. Libertas mentis sancta & inculpata in quibus consistat.

1. Pura intentio.

Hoc unum præceptum summatim comprehendit, quidquid ad vitam spiritualiter agendam præscribi potest: quo admo-

nemur in omnibus operibus, verbis, cogitationibus, atque desiderijs nostris Deum sinceriter quærere, & ad ejus honorem cuncta referre, corque mundum ac liberum habere. Dicitur non potest, quàm Deo gratas & nobis fructuosas reddat ipsas actiones nostras sancta intentio. Etiam si quis solummodò pedem aut manum, vel linguam purè propeet Deum moverit, caputve inclinaverit, seu minimam cogitationem, minimumque desiderium secundum charitatem habuerit, amplissimam postea mercedem accipiet.

Quin & quando pro Dei honore desideramus sanitatem corporis, cessationem tribulationis, necessaria vitæ præsentis, & similia, divinæ interim voluntati atque dispositioni totam petitionem nostram committentes; ipse Dominus salutis nostræ cupidissimus, grata habet etiam talia desideria nostra, & illa coronat qualem desiderassemus.

Puritati internæ custodiendæ invigilat, qui superbiam, vanam gloriam

1. Custodiam cogitationum,
 gloriae, iracundiaeque virijs diligenter resistit: qui inobedientiae scelus in se penitus conculcat & proterit: qui ab omni odij & invidiae labe immunem se servat: qui sordidas & iniquas cogitationes januam cordis sui pulsantes mox repellit: qui carnalibus desiderijs, & quibuslibet pravis cupiditatibus inordinatisque affectibus consentire, ac delectamentis corporalibus inhærere recusat: qui sensus suos, visum, auditum, olfactum, gustum, & tactum, sanctae continentiae freno studiosè regit: qui in verbis circumspectus est, & illicita atque inepta quaeque proferre renuit.

2. In geminam presentiam Dei,
 Qui Deum se jugiter intuentem, † sibi que praesentem & intimum religiosè attendens, quovis loco ac tempore cor suum sedulo coram eo custodit, & vercundiam atque honestatem in omnibus, etiam quando solus est, retinet.

3. Sacramentorum frequentationem,
 Qui ad sacramentalis confessionis salutare remedium, & ad sacrae Eucharistiae vivificum convivium libenter ac reverenter (licet fortè aridus, frigidus & afflitus, nulla sensibilis devotionis consolatione releveretur) propter Dei honorem accedit.

4. Sanctas occupationes cui fuga
 Qui torporem & otium perniciosum fugiens, intendendo rebus sacris, legendo, meditando, orando, scribendo, vel quaelibet necessaria aut congrua ad gloriae

Dei faciendo, tempus utiliter expendit: qui ante ea quae agenda vel dicenda sunt, cor saltem breviter ad Deum elevare, & ejus auxilium implorare consuevit.

Libertati internae servandae invigilat,

Qui modum in omnibus per discretionis virtutem tenere studet.

Qui erga nullam rem, erga nullum opus, affectum suum importunè effundit. qui desideria intus nascentia discutit, convenienterque moderatur, & inordinatum ac praecipitem animi impetum in his quae facienda vel tractanda occurrunt, refrenat: qui terrenis atque caducis rebus cor affixum non habet.

Qui indigentibus necessaria non invitus sed hilaris tribuit, & pueriliter non timet, ne quod alteri dat, sibi desit.

Qui saecularibus curis & sollicitudinibus mentem suam nimium involvi deprimique non sinit.

Qui nulli privato exercitio ita se altringit, quin paratus sit ab illo se mox sejungere, & ipsum ad honorem Dei intermittere aut omittere, quodcumque obedientia, vel charitas, seu alia rationalis causa id omnino exposcit: qui non vult suus esse, sed electionem, deliberationem, ordinationemque propriam in quovis negotio promptè propter Deum relinquit.

Qui securè se divinae dispositioni in omnibus credens, voluntatem

Enchiridij Patulorū. Lib. 1.

3. Libertas spiritus, ad quam facit.
 1. Discretio.
 2. Affectuum ordinatio.

3. Beneficentia.

4. Curam abjectionis.

5. Expropriatio in exercitiis.

6. Refrenatio in Deum.

† Hoc est monitum Dei ad Abraham, Genesis 17. *Ambula coram me, & esto perfectum.*

Enchiri-
dij Par-
vulorū-
Lib. 1.

tatem Domini semper præeligit,
atque etiam aliorum voluntatem
suæ voluntati sapienter præpo-
nit.

7. *Aliena
non inquis
vere.*

Qui cognoscere ea quæ ad se
nihil attinent, vel quæ ad utilita-
tem animæ nihil faciunt, non
concupiscit.

8. *Nec my-
stéria
scrutari.*


Qui majestatem summæ Divi-
nitatis atq; Trinitatis ultrà quàm
par est investigare, & incompre-
hensibilia Dei judicia te merè dis-
cutere nõ præsumit, sed pia men-
te venerando ea quæ non intelli-
git, ipsum justum Dominum ni-
hil injustè facere vel permittere
indubitanter credit.

9. *Impe-
dimenta
spiritu re-
sistere.*

Qui denique ab animo rejicit
quidquid inquietudinem intus
parit, quidquid mentem malè li-
gat aut implicat, atque à Deo im-
pedit. Maximè verò orationis
ac divini Officij tempore sepo-
nenda removendaque sunt illa
quæ cor distrahunt, quamlibet
etiam sancta, utilia, vel necessaria
videantur.

10. *Tenta-
tioni o-
rienti oc-
currere.*

Neque enim solùm mala aut
frivola, sed & ea quæ in se hone-
sta vel pia sunt, nos periculosa
tentatione plerumque occupant
& constringunt, si ipsi tentationi
statim in initio resistere, atque il-
la quæ se cordi intempestivè
ingerunt, repellere
negligimus.



DOCUMENTVM II.

*Indifferentia animi ad omnia Dei
dona, prospera vel adversa.*

PLENA fiduciâ te totum &
omnia tua Deo committe,
ita ut ejus voluntas æternaque di-
spositio sit tibi semper pro sum-
mo solatio: & sive in tenebris, sive
in lumine, sive in tribulatione
sive in prosperitatis successu, sive
in cordis angustia, sive in cordis
latitudine, sive in donis pauperè,
sive in eisdem divitem te ille esse
voluerit, rectè de bonitate ejus
sentias: & gravia ac molesta quæ-
que de manu paternæ pietatis at-
que providentiæ illius humiliter,
patienter, vel etiam hilariter sus-
cipias: certò credens eum omnia
pro tua salute ordinare aut per-
mittere, unicequè optans ut ipsa
voluntas ejus omni tempore inte-
perficiatur.

APPENDIX.

*In quibus, quomodo, quanto cum fru-
ctu, exercenda sit propria ele-
ctionis indifferentia.*

I. Non potest turbari, qui cumq; amat Dei vo-
luntatem, & credit nihil fieri aut permitti nisi ab
eo.

II. Possumus tamen & debemus petere, quatenus
rationabiliter judicamus expedire; ita dumtaxat
patienter feramus, si non concedantur.

III. Petitis adversa, quàm prospera, eligamus;
& cum evenerint, ea peccatu nostru imputemus, in-
quam pij Patris salubria flagella.

IV. Hinc constat, non esse nimis cupide appeten-
das consolationes, sed tantum prout Deo placuerit.
V. Cum

P. Constat etiam, securiorem esse viam ad perfectionem per tribulationes à Deo immittas, aut permissas.

Pl. Omnia etiam pijs cooperari ad bonum: ac proinde debere nos esse ad omnia indifferentes, excepto peccato.

1. *1.* **E**X observatione hujus præcepti vera hominis pax dependet. Nam cum certum sit, nec folium quidem ex arbore decidere absque divina providentia; si nobis semper grata fuerit ipsa Dei voluntas atque dispositio, & eam sapienter in omnibus attendere voluerimus, non nos deiciet quidquid nobis acciderit.

g. Nihil enim fit nisi Deo permittit, et aut volente.
 Neque cælum neque terra, neque alia elementa, neque bruta animalia, neque homines, neque invisibilia, neque visibilia, nos ullo modo lædere vel affligere possunt, nisi Deus permittat: nullus morbus, nullum damnum, nulla prorsus incommoditas, nos contingere valet absque ejus permissione.

g. Et nihil permissum est vult, nisi in bonum servorum suorum.
 Nunquam autem ille patitur, ut vel levissimæ auræ flatus corpora, vel minimæ cogitationis molestia animas infestet suorum electorum, sine ingenti profectu salutis eorum: modò iidem electi hoc quod gravat, humiliter & patienter ferant. Sed & plerumque illa quæ minùs attentis aut etiam quasi involuntarij sustinent, idem pijs Dominus eis ad æternam salutem convertit, ita ut eorum animæ ornentur talibus tanquam cupro: quibus tanquam auro & gemmis ornarentur, si ea æquanimiùs tolerarent.

Expedit sanè, ut vitam perfectiorem uberioremque gratiam à Domino sedulò petamus.

Verumtamen si ipse sententia devotionis non concesserit, si solatia rarò præstiterit, si nos etiã diversis doloribus ac pœnis cruciari; diversisque tentationibus vexari, & diversis imperfectionibus impediri permiserit; nequam ob id perturbari aut impatientes esse, sed ad eum per orationem in omni rerum eventu confugere, in illo firmissimè sperare, illi indubitanter fidere, & in eo immobiliter persistere debemus.

2. Adversus potius ex amore Dei eligenda quam prospera.
 Imò verò si daretur optio, meritò in præsentis exilio potius eligenda essent pro amore ejus adversa, quam prospera. Ergò vir spiritualis non tunc solum tranquillus apud se consistat, quando nihil eum premit aut gravat: sed pacem suam in patientia constituat, ita ut ad toleranda contraria semper & ubique (Deo adjuvante) paratus voluntariusque sit.

3. Adversa boni sunt, si repitet à Deo esse ut pijs Patria flagella.
 Quælibet molesta, tam parva, quam magna, tam externa quam interna, undecunque obvenerint; etiam ipsa impedimenta, quibus se à spirituali profectu retardari putat, pacato gratoque animo, tanquam de manu pijsissimi Patris cælestis, suscipiat.

1. In unione Christi.
 Et ei in unione passionis unici filij sui Domini Jesu illa devotè offerat ad laudem ipsius sempiternam. Nam eo modo conjuncta atq; unita tribulationibus & do-

Enchiridij Parvulorum. Lib. 1.

2. Per te tuum vestimentum vestimenta sunt necessaria. Longa nimirum expectatio.

2. Adversus potius ex amore Dei eligenda quam prospera.

3. Adversa boni sunt, si repitet à Deo esse ut pijs Patria flagella.

1. In unione Christi.

Enchiri-
dij Par-
vulorū.
Lib. 1.

loribus Christi, ineffabilis erunt
dignitatis ac meriti.

2. *Sua ea
demeritu
patienter
imputans*

Omnem mœrorem & anxietatem, omnem afflictionem & calamitatem quam patitur, suis peccatis imputet: seque dignum flagellis, indignum verò etiam minima consolatione esse agnoscat. Cogitet justum esse, sibi que utile, ut quoties declinando à rectitudine, malè agit, gravaminibus amaritudinibusque tanquam salutari antidoto curetur.

3. *Ex hereditate
vel adoptionis
ex amore pi-
gnora ac-
cepset.*

Inter saluberrima misericordissimi Domini verbera, mitissimam tolerantiam exhibeat, sciens se per huiusmodi castigationem purgari, & ad hereditatem cœlestem præparari. Nam adversitas tam corporalis quam spiritualis, quæ patienti & benigna mente propter Deum sustinetur, verum præclarumque indicium est electionis divinæ, ac veluti pignus adoptionis, seu annulus dignissimæ illius desponsationis, quæ anima efficitur filia, amica, & sponsa Altissimi.

4. *Non quæ
rat inordinatam
cupide solationis
singulares*

Qui igitur Domino perfectè placere cupit, non expetat cum inordinata cordis inquietudine vel impatientia in hoc peregrinationis loco grandes & singulares consolationes: quæ si à liberalitate Dei oblatæ fuerint, humiliter & gratè eas excipiat: non tamen in illis, sed in illarum largitore Deo conquiescat. Prorsus ei committat quando & quomodo hanc animam suam consolari velit.

Periculosa res est sensibilis devotionis dulcedo his qui eam impurè desiderant, impurè que eam tumentur: hoc est, qui sui oblectationem magis quam sui mortificationem Dei que honorem in illa & per illam quærunt.

Et sæpè majori fructu non habita desideratur, quam sentiretur obtenta: nam & multis magis salutaria sunt quæ dura atque amara dolorem, quam quæ suavia & blanda delectationem adferunt.

Meritum hominis in hoc consistit, ut fideliter, etsi non dulciter, Deum colat, eique perseveranter inter omnia gravamina, & inter omnes laborum difficultates, servata humilitate atque patientia, adhæreat.

Ipse Deus aliquos quidem ex electis suis in hac vita blandimentis fovet, ac cœlesti lumine illustratos mirificè afficit atque lætificat.

Sed plurimos per iter asperum deducens, permittit gravibus tribulationibus exerceri, atrocibus angoribus arctari, internæ cupidam malignitatis impulsibus agitari, diutino mœrore premi, spiritualis suavitatis gustu destituti, sensus obtenebratione confundi, molesta animi dormitatione desicci, miserabili mentis distractione affligi, fœdis imaginibus, lascivis motibus, obicœnis somnijs, dolendaque humoris carnem poluentis proluvie fatigari.

Idque eò plerumque vehementiùs atque importuniùs, quo rem-

pora

factis te-
poribus
erga ele-
ctos, ve-
hementio-
ris.

pora sacratiora seu solemnitates digniores occurrunt; aded ut eos, quos aliquando gloriosissime coronaturus est in caelis, jam deserere ac projicere, eorumque sanctis studijs atque conatibus obsistere videatur. Sed non deserit illos, nec projicit; verum salutem eorum mira dispensatione & incomprehensibili consilio ineffabilique charitate inter hujusmodi calamitates promovet: novit enim quid cuique expediat.

6. *Bona voluntas
lucet
versis
Deum
omnia in
bonum.*

Omniò quidquid accidit his qui bonae voluntatis sunt, ille ad salutem eorum accidere permittit. Hoc indubitanter credere debemus: licet ea quae toleramus, planè absurda & inconvenientia, horrendaq; ac salutis nostrae prorsus contraria nonnunquam nobis videantur. Ipse Dominus novit (sicut modò dicebamus) quid cuique expediat.

1. *Debet
ergo ho-
mo bona
volunta-
tu induere
reindiffe-
rentiam
& abne-
gatione;*

Quare qui ad singularem ejus amicitiam pertingere vult, debet sic animum instituere, ut paratus sit per omnem vitam (si ille ita permiserit) multiplices miseriae & tentationes perferre, varijsque cordis ac corporis molestijs torqueri, & in spiritali conflictu assidue vivere; debet se sic abnegare, sicque providentiae & dispositioni divinae subicere, ut Deo servire malit quomodo ipse Deus ordinat vel sancta obedientia exposcit, quam quomodo propria affectio propriae naturae seu aetas suadet.

2. *Et si-
duciatlem*

Debet se totum ita Deo credere, ut quamvis desideret mox post

mortem carnis ad eum (pro gloria nominis ipsius) absque impedimento pervenire, confidenter tamen illi committat, utrum, priusquam in plenam beatitudinis gaudium recipiatur, purgari adhuc debeat. Postremò debet libenter etiam ultimum inter salvandos locum eligere, si Deus velit ut locum ultimum reneat.

Tunc enim Christo verè charissimi sumus, & piissimum cor ejus efficacissime ad nos inclinamus, copiosamque ipsius gratiam tempore opportuno percipiendam nobis felicissime conciliamus, quando non murmuramus adversus eum, nec nobis ipse displicet, propter illa quae ex permissione ejus patimur; quando, inquam, voluntatem nostram voluntati ejus perfectè conformamus atque subdimus, integerrimam humilis cordis fiduciam nos curamque nostri in eum jacentes, ac cupidissime super omnia exoptantes, ut ipsa laudabilissima voluntas ejus in nobis & circa nos plenissime tam in futuro quam in praesenti saeculo perficiatur.

DOCUMENTVM III.

Humilis longanimitas in defectuum emendatione.

EA quae nulla ratione in te vel in alijs corrigere potes, Deo commenda; longanimiter expectans, donec ille aliter de his, quae tibi malè habere videntur, disponat.

Enchiridii
Parvulorum,
Lib. 1.

resignationem,
etiam circa purgatorium
quemvis locum in caelo.

3. Verso enim amor, in plena conformitate cum Dei voluntate consistit.

APPENDIX.

Enchiridij Parvulorū. Lib. 1.

Conatus nostros à Deo perficiendos humiliter & patienter expectemus.

1. Non sit impatiens, sed statim nequeas defectus tentatione rive abytre: sed cum oratione humiliter, vigilanter, placide ac perseveranter resistat.
2. Non enim illi soli felices, qui nullis tentationibus pulsantur, verum & illi qui nullis franguntur.
3. Quantum valeat coram Deo bona voluntas in conatibus nostris, quando amplius non potest anima prestare.
4. Bona voluntas filios Dei facit & conservat: & in quibus illa sit sita.
5. Merita Christi pro peccatis & defectibus nostris offerenda cum fiducia: quibusq; id fieri debeat conditionibus.

1. *Figura contra defectus & passiones.*

HVIVS quoque præcepti observatio plurimum facit ad veram hominis pacem. Igitur si is qui proficiendi desiderio fervet, molestissimos vanæ gloriæ, impatientiæ, ingluvieri, libidinis, & aliorum vitiorū motus omnino extinguere, aut distractiones evagationesque mentis tempore orationis atq; divini Officij compescere necdum potest, non debet inordinatè contristari.

1. *Deum orat, suam infirmitatem agnoscat.*

Sed respiret qui talis est, Deumque sedulo exoret, ut quidquid in se vel in alijs emendandum videt, emendare dignetur. Agnoscat humiliter suam infirmitatem, agnoscat se suis viribus suaque industria nihil posse sine adjutorio gratiæ cælestis.

† Scholastici cum D. Thoma 1. 2. q. 109. art. 2. ubi quæritur, utrum homo possit velle facere bonum absque gratiâ; affirmant de bono naturali aut morali, negant de supernaturali aut salutari ad vitam æternam acquirendam. Sic accipe Ioan. 17. *Sine me nihil potestis facere.* De quo & affinibus Scripturæ locis vide S. Augustinum Epistolâ 106. & de Gratia & libero arbitrio cap. 9. & lib. 2. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 8. & Synodum Tridentinam sess. 6. can. 2.

Ipsis vitiorum illecebris ac stimulis quibus pulsatur, resistere mentis ratione non negligat: sciens, quia quantumcunque feæda vel venenosa cordi ingesta fuerint, animam renitentem & consentire nolentem non polluunt. Etiam distractiones, quibus mens ejus inter precandum in diversa rapitur, per deliberatam voluntatem & putidam animi incuriam non admittat: sed eas rationabili diligentia reprimere satagat.

Placidè faciat quod in se est; integre interim omnia dispositioni (qui Dei fragilitatem ac instabilitatè ipsius perfectè novit) committens, atq; æquo animo ferens, quod propositum suum exequi non valeat sicut cupit.

Quamvis parùm proficere, quavis etiam ad inferiora semper decidere sibi videatur, non tamen deserat suum sanctum propositum: & nullo modo existimet se suasque orationes ob id à Deo despici, quod adhuc imperfectus sit: nec animo nimium deiiciatur, propterea quod multos conspiciat se perfectiores esse: sed humilians se, & de illorum profectu tanquam de proprio gaudens, gratias agat Domino.

Beatus quidem ille est, qui sopitis multiplicium desideriorum & cogitationum tumultibus, tanquam sponsa cum cælesti sponse inusdeliciatur. Sed felices nihilominus sunt, & adolescentulæ pro foribus foris exoubantes, quæ licet adhuc varijs cogitationum phan-

*1. Non no-
cent sen-
tationes,
si resistm.*
phantasmatibus distrahantur, va-
rijsque concupiscentiarum & pas-
sionum moribus infestentur, resi-
stere tamen student, & in bonis
operibus perseverantes, ipsius
sponsi vestigia sequuntur. Pos-
sunt per Dei gratiam paulatim
crescere, & ad perfectiora perve-
nire.

*2. velin-
quantur
enim ad
meritum.*
Pius cultor Dei, cujus anima
ex numero talium adolescentu-
larum est, cogitet, sibi ad virtutis
exercitium, & ad humilitatem
servandam, utile esse aliquibus
imperfectioribus adhuc detineri.

3.
*Bona vo-
luntaria-
pud Deū
pro ipso o-
pere est*
Si ipse pauper magna Deo of-
ferre nequit, libenter offerat vel
parva, bonam promptaque vo-
luntatem exhibens, & pium desi-
derium poriora offerendi habens.

*4. Igitur
etiam im-
perfecta
opera in
unione
Christi
Deo offe-
renda.*
** Oxi-
mū bo-
næ vo-
luntatis
præco-
gium!*
Nam habere aut etiam velle ha-
bere huiusmodi sanctum deside-
rium, res est non parva, sed exi-
mia, magnificè coronanda à Do-
mino, qui bonam voluntatem
pro opere vel operis perfectione
suscipit, quando opus sive perfe-
ctio operis præstari non potest;
quique gemitum etiam minimū
pro bono spirituali piè emissum,
grandi mercede donat. Quàm
magna vellemus esse nostra desi-
deria, tam magna apud illum
sunt.

Ergo fidelis Dei cultor sese in
humilitate contineat, bonam vo-
luntatem (sicut dictum est) exhi-
bens. Imperfecta opera seu exer-
cicia sua benignissimo cordi Jesu
Christi emendanda perficiendaq;
si non verbis, saltem animi voto

commendet: & illa offerat in u-
nione sanctissimarum actionum
eiusdem Christi Jesu, sive in unio-
ne admirabilis amabilisque illius
amoris, quo ipse, factus homo,
generis humani redemptionem
peregit: vel certè istud aut simile
dicat Deo Patri: *Domine hoc opus,
vel hac opera seu exercitia, offero tibi
per unicum Filium tuum in virtute
Spiritus sancti, ad aeternam laudem
nominis tui.*

*2. Sic en-
nim glori-
diora
sunt &
perfectio-
ra.*
Ea enim ratione perficientur,
& dignissima Deoque gratissima
erunt quæ offeret. Nam sua, quæ
ex se obscura vel minus clara sunt,
ineffabilem splendorem atque
decorem ex meritis Christi, qui-
bus conjunguntur & uniuntur,
accipient: Planè quod per dile-
ctum Dei Patris filium Christum
Jesum piè offertur, ultrà quàm di-
ci possit nobile & Deo acceptum
redditur: quemadmodum appa-
ret aureum aut purpureum, quid-
quid per gemmam vel vitrum au-
rei purpureive coloris conspicitur.
Hoc firmiter credat, ut eo
modo seipsum consoletur, Do-
minumque in omnibus laudet at-
que glorificet.

4.
*Bona vo-
luntaria fi-
lius Dei
facit.*
Nam cum omne peccatum jam
excretur, & humilis factus, bo-
naque voluntate intus ornatus,
Deo placere desideret ac laboret,
Dei proculdubio filius est, sum-
mæ Trinitati charus est; ob idq;
si in tali proposito perseveraverit,
omnino heres regni caelorum erit,
quantumcunque parvus in meri-
tis & imperfectus modò esse vi-
deatur.

Enchiridij Parvulorum. Lib. I.

1. Licet imperfecti sint in multo.

2. Modò non amet defectus suos, sed ex corde eos excitentur.

3. Et cum humili fiducia poenitentia & emendationem proponant.

4. Atque ita facile veniam obtinent, & citò, & plenè

Licet in multis quotidie ex humana fragilitate offendat, non tamen putet propterea Dominum, rupta prorsus amicitia, à se omnino recessurum, dummodò ipse voluntatem suam ab eo non avertat; & per veram poenitentiam frequenter doleat de offensis ac negligentijs suis.

Esto sanè, ut occasione oblata facile excedat in verbis, risu, affectione inordinata, propria complacentia, inani gloria, ac similibus: sed non amet ipsos excessus, neque occasiones excedendi appetat; displiceat illi omne peccatum. Quando, inquam, solus liberque apud se est, prorsus aversetur quidquid cor suum maculare, & se à Deo elongare potest: sic enim celerissimam veniam consequetur.

Etiam si singulis horis ex infirmitate sæpius labatur, nequaquam tamen hanc gravissimam injuriam clementissimo & ad ignoscendum verè poenitentibus paratissimo Redemptori suo faciat, ut de ejus immensa misericordia diffidere velit. Neque propter numerositatem, neque propter enormitatem lapsuum suorum desperet: sed culpam suam humiliter agnoscens, & se fideliter corrigere proponens, toties cum sancta indulgentiæ spe resurgat, quoties cadit.

Nam quodcumque eum verè poenitet peccatorum admissorum, & ipse integro corde voluntatem suam inclinat ad sui emendationem,

ita ut deinceps patatus sit facere ea quæ placent Domino: tam repente sanctificatur, quam repente mundatus fuit leprosus ille, cui dicenti, *Domine, si vis, potes me mundare*, Dominus respondit, *Volo, mundare*. Jesus enim Dei & Virginis filius, pro salute generis humani semper aditatur Deo Patri, ut ei electos suos, ex humana fragilitate peccantes, ac deinde poenitentes reconciliet, suam innocentiam eum placans.

Quæ tamen incomprehensibilis pietas Dei illum non faciliore ad peccandum, sed promptiorem ad amandum reddere debet.

Bono sit animo. Peccatorum veniam, seu quælibet necessaria religiosè & sanctè postulet in nomine ipsius Christi Jesu: sic enim omnino exaudietur, & repulsam non accipiet. Dicat ergò Deo Patri: *Pie Pater, miserere mei, & emunda me ab omni peccato, per unigenitum Filium tuum*. Roget eundem Christum Jesum, ut pro se advocatus esse dignetur. Sed & in plenam expiationem atque satisfactionem pro peccatis ac negligentijs suis offerat ejusdem Domini Jesu cor mellissimum quod in se continet omne bonum: offerat sanctissimam conversationem, passionem & mortem ipsius: vel etiam pro sua superbia, humilitatem illius; pro impatientia, patientiam; pro incontinentia, continentiam; pro malitia sua, innocentiam ejus offerat.

Qua præcellentissima oblatione

7. Fiat oblatio ista cum sancta fiducia.

ne cum benignitate mentis factâ, *salutem, quia in me habuisti fiduciam.* jam omninò se veniam assecutam, & verè reconciliatû, ac meritis virtutibusque Christi ornatum esse confidat. Si enim adhuc dubius nimisq; meticulosus manet, similis est ei, qui exutus vestimentis vilibus ac sordidis, & repentè indutus Regijs, non novit decenter atque compositè pro exigentia ipsorum Regalium vestimentorum incedere, sed pro morum rusticitate, cui assuetus est, ineptè & inciviler graditur. Indubitanter credat, Dominum (qui omnes electos suos affectu renerrimo diligit) scire, posse, & velle sibi humiliato ignoscere, atque in omni necessitate adesse. Piam certamque fiduciam erga eum concipiat, dicens illud ex libro Iob: *Etiam si occiderit me, in ipso sperabo: & si in profundum inferni demersus fuero, inde me liberabit.*

Iob. 12.

2. Quantum ea fiducia Deo placeat, & à Deo impetret.

Hæc sancta & segura confidentia in tantum placet Deo, & tantam vim pijsimo cordi ejus infert, ut ipse Dominus non possit non adjuvare, non possit non ad salutem exaudire eum, qui illam habet. Vnde & in Sacra Scriptura ira loquitur: *Ego Dominus Deus tuus apprehendens manus tuas, dicensq; tibi: Ne timeas, ego adjuvi te. Nunquid oblitisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? & si illa oblita fuerit, ego tamen non oblitiscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te. Erit tibi anima tua in*

Isai. 41.

Isai. 49.

Ierem. 35.

salutem, quia in me habuisti fiduciam.

Ex humilitate & charitate procedere debet ista fiducia: nam superbam, stolidam, & à casto timore alienam confidentiam Deus despicit.

Enechiridij Parvalorû. Liber 1.

3. Unde procedat, ut bona sit.

DOCUMENTVM IV.

Patientia & mansuetudo in injurijs illatis exemplo Christi.

INjuriam seu contumeliam tibi illatam si cum lætitia nondum ferre potes, non tamen propter illam insipienter perturbaris, neque irâ excandescas; sed tranquillus permanere stude: nam indigniora pro te Deus tuus mansuetissimè toleravit. Ergò in talibus ferocientem animi impetum religa & reprime: Deumque, qui te justè quidem, sed tamen ex amore affligi permittit, magis quàm hominem qui te affligit, attende.

A P P E N D I X.

Schola Patientie.

1. Injuria patienter & mansuetè ferenda sunt, exemplo Apostolorum, Davidis, & Christi Domini.
2. Sic enim tolerata valent ad meritum, ad purgationem, ad pacem.
3. Dilemma patientia contra illatas injurias.
4. Pax cordis nostri non pendet à judicjs & linguis hominum, sed à Deo.
5. Impatientia statim in ipso exitu suo est reprimenda.

1. Injuria patienter toleranda.

IS cui jam perfectior sui ipsius victoria cælitus concessa est, quam-

Enchiridij
Parvulorū.
Lib. 1.

quamlibet offensam in se admittam promptissimè remittere, convitiaque, ludibria, & subsannationes exultanti aut saltem tranquillo animo perferre novit.

Tales erant Apostoli, qui à Iudæis cæsi gaudebant, quòd *digni habiti essent pro nomine Iesu contumeliam pati.*

Talis erat & Rex David: qui cum Semei se maledicentem audiret ac videret, non est exasperatus, neque vindictam expetit, sed Deum attendens humiliter dixit:

Dimittite eum ut maledicat iuxta preceptum Domini, si fortè respiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac.

Et quis non animeretur ad opprobria & indigna quæque patienter toleranda, si diligenter consideret, quàm miti atque humili corde ipse Dominus noster Jesus Christus omnem passionis suæ amaritudinem & dolorem pro nobis sustinuerit? Dæmonium habere, & seductor esse dicebatur; ab impijs captus ligabatur,

premebatur, abducebatur, accusabatur, conspuebatur, a lapidibus & colaphis tundebar, illudebatur, contemnebatur, flagris con-

scindebatur, spinis coronabatur, felle & aceto potabatur, clavis cruci affigebatur, blasphemijs imperebatur; & interim tranquillissimam patientiam servabat. Non

aperiebat os suum Agnus Dei innocens: nisi quòd pendens in cruce, Patrem pro suis persecutori-

bus exorabat. A tam præclaris virtutū exemplis, quæ benignissimus Redemptor noster nobis reliquit, oculi cordis avertendi non sunt.

Tu nullo modo, pro felicitate hoc quærere debes in ista vita, ut nullus sit qui te gravet, nullus qui tibi negotium faceat: nam ad superbiam, iracundiæ, vel impatientiæ in te latentis extirpationem, ad veræ pacis acquisitionem, ad peccatorum tuorum purgationem, meritumque augmentum, sæpè utile, ac necessarium est, ut Deo ordinante seu permitte nō desint qui te exercent, & salutem tuam diversas molestias ingerendo promoveant.

Quando probrosa tibi obijciuntur quæ non admististi, testimonium conscientiæ tuæ te soletur, & tranquillus esto: si verò admististi ea quæ in te dicuntur, etiam sic tranquillus & humilis permanens, paratam habe voluntatem corrigendi te, si nondum correxisti.

Non sis multum sollicitus quomodo homines de te loquantur, quid de te sentiant, quale iudicium de te habeant: sed ad Deum causam tuam semper refer, illi te & omnia committe, in illo cor tuum stabilire stude. Ipse enim sibi fidentes ab omni confusione opportunè & convenienter eximere novit. Sic fiet, ut pax tua ex linguis hominum non pendeat.

Si data qualibet perturbationis occasione, contingat te ex imper-

fectio-

obsequium & mundum.

fectione fragilitateque propria stimulis indignationis acerbius agitari, discere quietè ferre ipsius passionistuae molestiam quàm intus affligeris: & intempestivè tunc non proferas ea ad quæ dicenda spiritus tuus importunè te impellit: sed de his quæ te angunt loqui differ (si fieri potest) donec Dei gratia mentisque serenitas redierit.

DOCUMENTUM V.

Obedientia, & proprii sensus abnegatio.

Alterius voluntatem potius, quàm tuam, facere amare; & iudicio alterius tuum iudicium facile submitte, proprio sensui nunquam protervè inhærens, neque aliquid sanctæ obedientiæ præponens.

A P P E N D I X.

Obedientia bonum, inobedientia malum.

1. Vera obedientia exhibenda erga omnes, sine discussione, sine mora, ordinate, & ex animo, in omnibus.
2. Meritum ejus pendet à rectitudine voluntatis, non à magnitudine aut excellentiâ operis.
3. Excellentissimi fructum obedientiæ, verag abnegationis.
4. Nullum opus contra obedientiam factum peccat Deo placere.

I. **S**vblimis planè virtus est obedientia, quam purè & simpliciter exhibitam Deus præfert quibuslibet alijs operibus atque

exercitijs, quantumvis excellentibus & sanctis.

Verus obediens non solum majoribus, sed & sibi æqualibus, atque etiam minoribus, alacriter in his quæ licita sunt obtemperat. Non discutit apud se, quàm juvenis aut imperfectus sit Superior qui jubet.

Non judicat frivolum vel inutile esse quod præcipit: sed audito ejus mandato, mox omnibus alijs, quæ tunc intermitteri possunt, intermissis, animo paratissimo jussa exequitur.

Non tanquam hominì, sed tanquam Deo obedientiam impendens, & propter Deum etiam præsentem minùs rectè viventem reverenter honorans, sincerumque ac dulcem affectum & benevolum animum erga eum gerens: memor verborum illorum Domini Iesu, *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.*

Purioris & integrioris vitæ amator obedit tunc quoque quando agnoscit voluntatem Superioris, licet mandatum ejus expressum non interveniat.

Vbique paratus est seipsum deferere; & propterea non solum in his quæ sibi placent, verum etiam, ac multò maximè, in his quæ molesta sensuique suo contraria sunt, vult obedire: recogitans, non semper illud esse Deo acceptius, quod hominì est dulcius atque delectabilius.

Enchiridij Patrum Lib. 1.

1. Non discutit quis ille sit qui imperat.

2. An quid imperat.

3. Deum solum imperare cõsiderat.

Luc. 10

4. Non expectat mandatum ubi agnoscit voluntatem.

5. Etiam in molestis.

Michiridij Parvulorff. Lib. 1.

Publi- ca privae, com- mune proprie- antepa- qis.

Actiones communes, quæ ad rationem obedientiæ spectant, suis privatis actionibus ex propria electione susceptis semper anteponeit, etiam si illæ sibi magis familiares esse videantur, minus quæ sapiant quàm privatæ. Talis si, fortè sacræ lectioni vel meditationi intentus, evocetur Superioris jussu ad indignum aut vanum aliquod opus, exempli gratiâ, ad quisquilias colligendas; nihil cunctatur, sed statim, absque aliqua contradictione vel dijudicatione, sancta studia illa omittit, ut obedientiam servet, Deum propter Deum convenienter & sapienter relinquens. Nam quod in se vile est ac nullius momenti, dum per obedientiam fit, redditur præstantissimum.

2.

Meritum obedientiæ; 1. Sumitur ex animo, non ex opere. 2. Vt demeritum inobedi- tiæ.

Neque enim ipsa obedientia nomen virtutis ac meritum sortitur ex dignitate rei quæ præcipitur, sed ex bona voluntate illius qui præcipienti fideliter obtemperat.

Gen. 3.

Eodem modo inobedientiæ gravitas in his quæ vel modica videntur, vel in se mala non sunt, ex prava voluntate ejus qui obedire non vult, pensanda estimandaque est. Verbi gratiâ: si quis pomum non edere jussus, superbè mandatum transgreditur, ipse reus punietur à Deo, non quod pomum comederit, sed quia inobediens fuit. Prævaricatio primorum parentum id abundè docet.

O qui sciret, quantus fructus in

virtute obedientiæ lateat, quàm religiosè etiam minima quæ sibi præscripta sunt, impletet! quàm promptè voluntatem alterius, sua voluntate contracta relictaque, faceret!

Omninò Deo charissimus est, qui sic se abnegat, & arbitrium, sensum, judicium, atque consiliû aliorum prudentum libentius quàm suum sequitur: illudque optimum sibi esse credit, quod à voluntate vel electione propria natum seu profectum non fuerit.

Hæc via plana & secunda est: quicumque per eam strenuè graditur, inoffenso pede ad cælestem patriam pergit: & non solum in futuro, verùm etiam in præsentis sæculo largam benedictionem accipiet à Domino Jesu, qui pro nobis factus est obediens usque ad mortem crucis.

Possent fieri (sicut Patres affirmant) ut aliquis per promptam, fidem & puram obedientiam altius elevaretur in Deum, quàm si toto decennio in devotarum precum exercitijs diligentissimus fuisset.

Libet addere aliud, quod Sancti asserere solent. Sint, inquit, duo homines, quorum alter in libertate, alter sub obedientia vivat: si is qui liber est aliquo die jejunat, simplicem mercedem consequitur: si verbò ille qui sub obedientia constitutus est, non jejunateo die, sed secundum præscriptum canonis ac legis cui se astringit, continenter & sobriè etiam

Etiam carnibus vescitur; cuperet tamen jejunare, nisi obedientia seu canonis constitutio vel charitas aliud requireret; duplici mercede à Deo donabitur.

Nulla virtus, nullum virtutis opus Domino placet, si vitio inobedientiae contaminetur.

Uti inquam displicet quidquid per inobedientiam deliberato animo fit, etiamsi alioqui pium ac laudabile sit quod agitur. Nam, ut sacra Scriptura testatur, melior est obedientia quam victima, & quasi scelus idololatria est, nolle acquiescere.

Hæreses non aliunde sumunt originem, quam ex superbia & inobedientia: hæretici enim suum sensum proteritè sequuntur, & decretis Ecclesiae Catholicae parere, propriumque iudicium iudicio illius submittere nolunt.

Si quis fervens spiritu rigorem abstinentiae, seu cujuslibet sanctae actionis austeritatem ad præceptum Superioris non mox deponeret, postea verò poenitentia ductus absque mora corrigere se & obedire vellet, tam facile indulgentiam inveniret apud Deum, quam facile veniam apud Imperatorem obtineret is, qui strenuè adversus hostes dimicando ipsum Imperatorem ex

improviso paululum læsisset.

DOCUMENTVM VI.

Humilitatis doctrina.

NUnquam alicui te præferas, nunquam aliquem contempnas. Omnium vilissimum indignissimumque te esse existima, omnibus te subijce, omnibus propter Deum inservire desidera: & eos qui te monent aut reprehendunt (etiam si inferiores videantur) æquanimiter audi: magis eligens culpam humiliter agnoscere, quam contentiosè ac superbè te ipsum excusare.

APPENDIX.

Comparatio humilitatis & superbie.

1. Magna superbia est, velle se unum hominum ceteri præferre.

2. Humilis aliorum virtutes cogitat, & suo vitia pensat.

HOC præceptum, sicut & præcedens, demonstrat iter rectum, commodissimumque compendium, ad vitæ perfectionem & æternam gloriam obtinendam.


Cùm Regis & mendici secundum animam æqualis sit dignitas, secundum carnem æqualis infirmitas (uterque enim animam imagine Dei insignitam, & corpus mortale habet) mirum

LII 2 valdè

Enchiridii
dii Parvulorum.
Libr. 1o.

1. Hominem homini se præferre, superbia actus est.

1. Quia homines in anima & corpore paræ sunt.



Enchiridij Parvulorū. Lib. 1.

valdè est, quomodo homo homini superbè se præferre.

2. Pares enim habendū.

Quomodo homo hominem contemnere, & non honorare, non sicut seipsum diligere possit.

2. Humiliatus est, aliorum virtutes cogitare, & sua vitia.

Felix est qui sic se deserit, sic deprimat, sic contemnit, ut aliorum tam latentes quàm patentis virtutes recogitans, & sua vitia pensans,

1. Idèd alior sibi præferre.

Ac quemlibet vel jam esse, vel mox per Dei gratiam posse esse longè se meliorem credens, pedibus omnium se veluti conculcandum exponat, omnes tanquam suos dominos attendat, omnium ministrum se constituat; omnibus propter Deum servire, grandi affectu appetat.

2. Viliora eligere ut se digna.

Felix qui viles quasque actiones, non quasi se indignas ridendo, sed quasi sibi convenientissimas amplectendo, serè perficit.

3. Amare confusionem & vilipensionem.

Qui etiam confundi pro Dei honore atque amore non refugit: qui contentionibus non delectatur, qui culpam suam liber agnoscit: qui se accusare, alios excusare amat: qui monitores & reprehensores (etiam si inferiores sint) patienti gratoque animo audit, & ipsos sincerè diligit.

DOCUMENTVM VII.

Contemptus honorum.

TAM libenter esto minimus, quàm libenter fortè aliquis alius esset maximus: & abjectus,

non autem honorabilis haberi concupisce, ut Christo sacraque ejus Genitrici Mariæ familiaris appareas.

APPENDIX.

Quomodo honores pro Christo fugiendi.

1. Humiliatus est, sua non jactare, nec permagni aestimare, nec ob dona Dei efferi, sed in solo Christo fiduciam collocare.

2. Nec hominum vereri iudicia, nisi duntaxat ut vitetur scandalum.

QUI verè humilis est, in finum locum semper appetit.

Subesse magis quàm præesse; & doceri magis, quàm docere cupit: laudes hominum non requirit.

Ea ex quibus honorari & in admirationem apud homines venire potest, per alium potius quàm per se peragi optat.

Sublimia de alijs sentiens, se nullius momenti esse reputat: bona quæ facit non insolenti cogitatione apud se magni pendit, nec ea per jactantiam ostentat.

Ob visitationem divinam non resolvitur ineptâ inordinatâve lætitiâ, neque securitatem imprudenter assumit: non, inquam, sibi vanè placet propter Dei dona, quæ percipit, nec de eis pascim (propriam quærendo gloriam) loqui gessit.

Non in se, non in suis meritis, sed in Dei misericordia, & in bea-

tæ ge-

*in humana
nis, sed
in divi-
ni confi-
dere.*
tæ genitricis, ejus Mariæ, aliorūq;
Sanctorum intercessionibus, ac
piorum hominum orationibus
confidit. Omnem animi altitu-
dinem in se penitus deijcit ac pro-
terit: pauperem, parvum, atque
imbecillum se Deo exhibens.

*2. Exem-
plo Davi-
dico.*
Hominum de se judicia non
anxiè metuit: sui contemptu non
perturbatur.

*3. Reg.
6.*
Denique vilis potius quàm hu-
milis, & inutilis magis quàm san-
ctus haberi desiderat.

*4. Exem-
plo Davi-
dico.*
Talis puer ille secundum cor
Domini, qui à superba Michol
spretus, & convitio præter me-
ritum exceptus, respondit: *Et lu-
dam, & vilior siam plusquam factus
sum, & ero humilis in oculis meis.*

DOCUMENTVM VIII.

Nec placere alijs studeas, nec displicere timeas. Familiaritates ne expetas.

ALICUT placere vanè non affectes, neque displicere inaniter pertimescas: & hominum, maximè mulierum, notitiam, familiaritatem, aut singularem erga te dilectionem ne expetas.

APPENDIX.

Placendi studium nimium, & familiaritas particularis vitanda.

1. Soli Deo placendum, & bonis viris propter Deum
2. Omnium mulierum familiaritas fugienda.
3. Nullius persone, quantumvis sanctæ, præsentia anxie expetenda est.

VIR verè spiritualis omne verbum, omnemque gestum adulationis fugit: nec magnopere curat utrum placeat an displiceat hominibus: sed modis omnibus ad hoc laborat, ut Deo placere possit. Ita tamen vivere studet, ut bonis (quantum in se est) placeat. Qui si nonnunquam intentionem suam ad humanam complacentiam vitiosè declinare senserit, mox eam corrigit & revocat, unius Dei favore atque amicitia contentus.

Non solum impudicarum, verum etiam honestarum mulierum incauta nimiaque familiaritas multis sæpè obfuit, multis derrimenta purioris castimonie intulit, multos gravibus tentationibus involvit. Sapiens igitur est qui hujusmodi pericula vitat, & spreta omni carnali affectione, puritatis cordis servandæ se addicit, ac vultum mulieris curiosè contemplari refugit. Sapiens, inquam, est, qui pias feminas Deo commendat, & eas ac quoslibet homines circa illum, non circa se per singularem amorem occupari cupit.

Beatus item est, qui nullius præsentiam corporalem nimis anxie experit: & absentiam etiam illorum æquo animo propter Deum fert, quorum exemplis atque colloquijs plurimum spiritualis consolationis & adjumenti percipere posset.

Enchiridij Parvulorū. Liber 1^o

1. Placendū soli Deo, nec aliter nisi propter Deū.

2. Fugienda familiaritas nimia, maxima feminarū, etiam piarum.

3. Corporalis præsentia nullius est anxie nimis querenda.

Euchiri-
dij Par-
vulorū.
Lib. 1.

DOCUMENTVM IX.

*De aliorum factis non satagendum,
nec malè de ijs loquendum.*

Aliorum dicta vel facta te-
merè neque iudices, neque
discutiās: & superfluis curis te nō
implices, verbaque detractoria
loqui, aut etiam audire (quan-
tūm potes) caveas.

APPENDIX.

*Curiositas in alienis negotijs ampū-
tanda. Item suspensiones &
detractioes.*

1. Piè de omnibus existimandum, nec de ullo te-
merè iudicandum.
2. Suspensiones sinistras statim abijci debere. Etia
qui aliorum gerit curam multum suspicax esse non
debet.
3. Peccantibus compatiendum potius quàm in-
dignandum.
4. Detractio, & censura de aliorum defectibus,
pio viro maxime fugienda.

I. **V**TILE fuerit ad hujus præ-
cepti observationem,
Aliorum mores & gestus minùs
compositos studiosè non atten-
dere, nisi in quantum officij ne-
cessitas exposcit.

*Temera-
rium ju-
diciū
fugien-
dum.
1. Esto ca-
cus in a-
lienis;*

*2. Ob in-
commoda
curiosita-
tē.*

*3. Remē-
dia teme-
rary ju-
dicij.*

Qui enim in ea re curiosus est,
facile etiam inquietus, suspicio-
sus, amarus, atque indignabun-
dus erit: & circa alios intempe-
stivè occupatus, sui ipsius obli-
viscetur.

Laudabile admodum est, teme-
raria iudicia vitare: non continuo
putare nullos ibi bonos esse, ubi

multi videntur non rectè vivere;
nec existimare illos omnes jam ir-
remediabiliter perijsse, qui cog-
noscantur adhuc licentiùs pec-
care: neque arbitrari hominem
orthodoxum ac pium propterea
à Deo despici vel non diligi, quòd
adhuc aliquibus imperfectioni-
bus detineatur.

Laudabile inquam est, suspi-
ciones sinistras in se leviter non
admittere, eis importunè & ini-
què se cordi ingerentibus consen-
sum non præbere:

Mala de aliquo audita nimis
facile non credere:

Benè de alijs sentire, & eorum
verba atque opera in meliorem
partem (quatenùs fieri potest)
interpretari. Non est cur multum
doleat se errare, qui etiam de ma-
lis hominibus bona cogitat.

Is cui aliorum cura credita est,
licet aliquando fortè metuat ne
ibi malum lateat ubi malum non
est, nunquam tamen fixa mente
suspiciari debet ibi malum esse, ubi
utrū malum sit incertus est.

Vir benevolus, & benigna cha-
ritate præditus, certò cognoscens
aliquem graviter peccasse, com-
miserescit:

Memorià repetens, quanta sit
infirmas & cæcitas humana.

Quantaque diaboli tentantis
invidia atque malitia.

Sed & hoc apud se recogitat,
quàm ardenti desiderio Dominus
experat & expectet tempus illud,
quo peccator convertatur, & se
corrigat,

Qui

APPENDIX.

Regula conversationis externa cum benevolentia erga proximum.

Enchiridij Parvulorum. Lib. 2.

1. Conversatio externa debet esse affabilis, modesta, serena.
2. Nullum despiciere oportet tanquam inemendabilem.
3. Anima in hominibus respicienda, non species corporis aut fortuna.
4. Aliorum bonis congaudendum, malis vero condolendum.
5. Opera misericordie spiritualia frequentanda, & si poterit, etiam corporalia.
6. Amara omnia erga alios & asperitas vitanda & reprimenda.
7. Correctio fraterna exercenda, humiliter, inuocenter, dulciter, fortiter, discretis, tum in proceros, tum in infirmos.
7. Singularitatis nota in communi & exterioris vita & conversatione maxime vitanda.

OMnino convenit ut servus Dei affabilem alijs se præbeat, & in vultu modestam castamq; serenitatem potius, quam nimis tristem vel austeram gravitatem, prætereundam consuecat. Debet (quantum in se est) amicè cum omnibus conversari, nemini onerosus esse, neminem conturbare, verborum infirmitatem atque à dilectione alienam mordacitatem vitare, promptè quoslibet juvare, cupidè omnium necessitatibus subvenire, libenter non solum his à quibus diligitur, sed potissimum his à quibus infestatur aut læditur, benefacere; cor amaritudine aut felle infectum adversus aliquem non gerere, nulli signa charitatis negare, nulli malè vellet, nulli invidere.

Nullum quantumvis iniquè violentem,

Benevolentia conversatio nis octo Monita.

1. Sic serena & amica affabilitas.

2. Nullum violentem, judicem.

Qui negotia sibi commissa relinquit, & sollicitudinem de rebus ad se suamque officium non pertinentibus abijcit, qui que inepre avidus non est ut aliorum secreta cognoscat, grandi pacis internæ beneficio fruatur.

Pij multum exhorrent detractionis vitium:

Ita ut de alterius imperfectionibus tacere semper malint, quam aliqua dicere.

Quod si necesse interdum fuerit ut talia vel loquantur vel audiant, summoperè vigilant ne aut per verborum excessum, aut per intensionem affectionemque minus sinceram corda sua maculent. Rem Deo gratam facit, qui detraherentis sermonem prudenter amputat, & ad meliora transferre satagit.

DOCUMENTVM X.

Benevolentia & affabilitas erga alios.

Benignum, * benevolum, & affabilem omnibus te præbe: de aliorum bonis sicut de proprijs gaude, & pro aliorum malis ingemisce; omnes sincera charitate diligens, neminem, quantumvis etiam tibi molestum, odio habens, de nullius salute desperans, & imperfectis quibusque piam compassionem magis quam turbulentam indignationem impendens.

1. Qui ad panem suum aspiciat.

4. Vitanda detractionis vitium.

3. Quomodo exsultanda vel divergentia detractionis.

* Hec citat Iudocus Lorichius s. Theologiae Doctor de Cura corporis.

Enchiri-
dij Par-
valorū.
Lib. 1.

inemen-
dabilem,
manime
h. & ipse
olim pec-
cator
fuit

ventem, despiciere; de nullius pec-
catoris vera conversione ac pœni-
tentia desperare: nam & ipse ali-
quando fortè à Deo averlus, in
iniquitatibus aut vanitatibus vi-
xit. Cogitet quàm clementer à
misericordi Domino tunc serva-
tus, atque ad meliora tandem re-
vocatus fuerit. Si Deo manum
porrigente evasit pericula, confidat,
& alios eodem adjuvante e-
vasuros. Transijt ipse à pravitate
ad justitiam: sed non putet alijs
viam salutis præclusam, aut pon-
tem misericordiæ dejectum esse.
Possunt alij transire quàm transijt:
possunt proficere, possunt etiam
ad perfectionem pervenire. Ergò
(sicut dictum est) de nullius ve-
ra conversione desperet: omnes
Christianos tanquam fratres ad
ad eandem secum hereditatem
cælestem vocatos cum gaudio as-
piciat & diligat.

3.
Anima
internam
pulchritu-
dinem &
pretium
ac salutē,
non exte-
riora cor-
poris aut
fortuna
bona ad-
spiciat.
Genes. 2

In hominibus non visibilis
corporis vilitatem, sed invisibilis
animæ (quæ ad imaginem Dei
creata est, quia rationalis est) præ-
cellentem nobilitatem pulchritu-
dinemque attendat. Tanta est
animæ humanæ dignitas, ut pro-
pter eam Rex regum, Dominus
dominantium, Unigenitus Dei
Patris, incarnari, pati, proprium-
que Sanguinem fundere, ac mori
voluerit. Itam animarum indi-
cibilem generositatem atque ve-
nustatem passim negligentis de-
decorari, peccatisque derurpari,
vehementer doleat; malè viven-
tes & excæcatos, pereuntesque

tam Christianos rectæ fidei, quàm
hæreticos, schismaticos, ac gen-
tiles, intima commiseratione
prosequatur: omnium salutem
vera charitate exoptet, de cujus-
libet profectu & consolatione
gaudeat.

Bona quæ in se non habet, in
alijs Dei electis se habere lætetur,
& pro eis divinæ liberalitati gra-
tias agat: nam cum omnes electi
sint unum corpus mylticum, præ-
stantia & gloria unius membri
cedit in honorem alterius. Alio-
rum item miseras & calamitates
suas reputet: erga pauperes, in-
firmos, tentatos, & afflictos pijs-
sima viscera gerat.

Sanctam hospitalitatem amet:
Opera misericordiæ, quæ facere
potest, hilariter faciat: si nequit
ea corporaliter impendere, im-
pendat spiritualiter.

Imperfectiones tam animorum
quàm corporum in alijs æquani-
miter toleret: omnemque inde-
centē asperitatem seu amarulen-
tiam animi sui, patienti benigni-
tate & sancto dilectionis dulcore
mitigare, vel etiam excludere ni-
tatur, tanquam & ipse habens in
se multa quæ ab alijs tolerari de-
beant. Quòd si penitus excludere
vel mitigare indignationis a-
maritudinisque internæ stimulo-
necdum potest, saltem consen-
sum eis deneget: ita ut quamvis
in inferioribus animæ viribus
graves impatientiæ motus sen-
tiant, superiorem tamen mentis ra-
tionem imperturbatam servare
conentur.

conetur. Suspiret ad Deum, & eius auxilium imploret. * Meminerit verò se ipsū Domino non placere, si aliquem hominem odit: cū filij Dei à filijs diaboli in eo singulariter distincti sint, quòd illi charitatem habeant, isti non habeant.

Igitur peccantibus compatia-
tur, peccatis non faveat. Por-
tet, & etiam in corde suo sibi
preferat, quos corripit: & cor-
ripiat seu castiget, quos portat.

2 Non hominem, sed hominis
vitia persequatur; & illa alibi
facile non recitet, ubi nec ejus
qui offendit, nec aliorum qui au-
diunt emendationem seu utilita-
tem ex hujusmodi recitatione se-
cuturam sperat.

3 Hominem ip-
sum, cujus imperfectiones ac
negligentias persequitur, sincero
cordis affectu diligit, & ei vultus
serenitatem, verborumq; & ope-
rum solatia (quoties res exigit)
exhibeat. + Dei Religionisque
injuriam, ac animarum damnum
non dissimulet: nec propter hu-
manam amicitiam omittat con-
venienter & opportunè cum cha-
ritate reprehendere ea, quæ à se
reprehendenda esse cognoverit.

4 Iustitiæ zelo ferveat; non ta-
men feratur precipiti sive inordi-
nato animi impetu: sed iram ejus
semper & consilij gravitas &
mansuetudinis gratia condiat.
Imperfecti & vitij adhuc obno-
xij in Ecclesia Dei, infirma at-
que ulcerosa sunt membra mysti-

ci corporis Christi. His non fu-
riosa pugnorum contusio, sed
(quantum res patitur) lenis ta-
ctus, id est, lenis admonitio pri-
mò adhiberi debet: & quòd si
ipsa lenitate non sanantur ulcera,
deinceps adhibenda est durior
correptio, tanquam sectio neces-
saria; ita tamen, ut semper veræ
charitatis affectus seruetur erga
eum qui castigatur.

Qui in congregatione aliqua
vivit, ubi honesta & sancta lex
atque institutio communis est,
pacificè eandem institutionem in
communibus actionibus & exer-
citijs sequatur, notam vitiosæ
singularitatis ubique vitans. Bo-
na quæ non nisi cum perturbatio-
ne aliorum publicè faceret, si
absque offensione Dei, & absque
læsione propriæ conscientiæ o-
mittere potest, prudenter (sicut
viderit esse necessarium) omit-
tat. Nihil attentè inolicum,
quod humanam fragilitatem ex-
cedere videatur: nisi Deus id sibi
placere certa revelatione declara-
verit, viresq; quibus illud
commodè perfici queat, præsti-
terit.

DOCUMENTVM XI.

*Mundi & vanitatum con-
temptus.*

MVNDI vanitates, carnis-
que voluptates vilissimas
sperne; immortalis animæ tuæ
M m m sponso

* Amor
erga pro-
ximos
est cha-
riter
filiorū
Dei, ut
odium,
filiorū
diaboli.
1. Ioan.
cap. 3.
& 4.
7.

Observe
correptio-
ni frater
ma mo-
dos.
2. Humi-
liter.
2. Inno-
center.

3. Conso-
labiliter
& aman-
ter.

4. Feri-
ter, in
causa sa-
lutis.

5. Mode-
ratè erga
imbecil-
les.

Enchiri-
dij Par-
vulorū.
Lib. 1.

6. Durior,
erga
proter-
vos.

8. Fugien-
da omnis
conspicua
singula-
ritas &
indiscr-
eta fer-
vor.

Enchiri-
dij Par-
vulorū.
Lib. 1.

sponso teipsum servans, & in
eo solatia tua constituens.

A P P E N D I X.

*Voluptates hujus vita spernenda,
gaudia futura inquirenda. De
illo quinque monita.*

1. Fuga seculi, & vanitatum mundi.
2. Carni impure voluptas deest animæ digni-
tatem, Dei beneficy reddit indignam.
3. Patria celestis amanda est, non ista peregrina-
tionis regio.
4. Licita est tamen moderata & cauta mentis
relaxatio ad laudem Dei assumpta.
5. Temperantia & sobrietas in vitæ sum pia
praxi.

T.
Vanitas
varia se-
culi con-
temnen-
da præ
divinis
oblectatio-
nibus.

Monet hoc præceptum, ut
fastum, gloriam, favorem,
honores, pompas, possessiones,
divitias, spectacula, lusus, jocos,
vaniloquia, & nugas hujus sæcu-
li, fœdasque carnis delicias con-
temnamus, nosiplos in solo Deo
rebusque divinis oblectantes.

2.
Carnalis
voluptas
indigni-
tatis &
impuri-
tatis.

Profectò qui animæ suæ ad
imaginem Dei creatæ dignitatem
& ingenitam pulchritudinem di-
ligentiùs considerat, impuris, car-
nis voluptatibus non facile se de-
det; sciens per illas animam ra-
tionalem fœdari, & decorem ge-
nuinum amitti. Itidem qui be-
neficia à Deo sibi impensa sedulo
recogitat, quomodo poterit erga
illum tam ingratus esse, ut pecca-
torum sordibus eum offendere

* Bene-
ficia Dei
erga nos
faciunt,
ut ani-
ma ve-
luti spon-
sa sese

non metuat? * Quomodo non
sefe immaculatum illi servare stu-
debit, à quo benignissimè condi-
tus, misericordissimeque redem-
ptus est? à quo custodiam Ange-

licam, & omnia tam spiritui quam
corpori necessaria, à prima ætate
accepit, accipitque quotidie? à
quo sic protegatur, sic governa-
tur, sic fovetur die ac nocte, quasi
ceterorum omnium oblitus ipse
Deus, curam ejus solius gereret?
à quo denique ad vitam æternam
gratuito electus ita diligitur, ut
sine illo ipse beatus esse nolit? Ni-
mis æquum est, ut tam bono Deo,
tam dulci animarum nostrarum
sponso, integram cordis purita-
tem (quantum in hac vita licet)
servemus. Tam liberalis bene-
factor, tamque ardens amator
omnino redamandus est: propter
eum transitoria omnia despicien-
da sunt.

Nos peregrini & exules hic su-
mus: quare non infimis istis in-
hærere, nec ea perversè amare, sed
patriam nostram, patriam cele-
stem requirere, & ad æterna bona
suspirare debemus. Neque enim
propter præsentem, sed propter
futuram vitam Christiani su-
mus.

Licet quidem est, jucunda
aliqua pro loco & tempore pia
intentione interdum proferre, re-
creationemque externam con-
gruam ad Dei honorem admitti-
re: sed summâ diligentia modus
servandus est, ne aut per nimiam
aut per minus castam relaxatio-
nem, harmonia interioris homi-
nis dissolvatur, & cordis puritas
lædatur.

Cum necesse sit singulis diebus
cibo potuque uti, in gustibus à
plexis-

In vitiis
regula
septem.

1. Oratio
ad cibū.
2. Mode-
stia in
mandu-
cando.

3. Discre-
tio in mo-
do.

4. Mor-
tificatio
in appeti-
tu gula.

5. Mensu-
ra refe-
ctionū.

6. Corre-
ctio sui,
sine an-
nuitate.

plerisque superari difficilius solet, quàm cetera cordis vitia. Vigilet igitur vir spiritualis in quotidiana adversum gulam pugna: 1 & Dei auxilium sedulo imploret, ne vincatur. 2 Indecentem aviditatem, turbulentamque cupiditatem inter edendum etiam in simplicibus escis frenet, ipsum cibum modestè sumens, & eum honestè sensimque mandens. 3 Rationabilem corpusculi refectioem, non autem voluptatem quærat: 4 & quamvis delectationem terrenam sentiat (sine qua refectio corporalis ab homine famente vel sitiente nequaquam sumitur) non tamen eidem delectationi inhæreat, neque eam ad intima sua admittat. Non, inquam, ob id manducet aut bibat, ut carnis concupiscentijs inferviat, & prava desideria expleat, sed ut naturam juvet, ei que satisfaciat. 5 Excelsū diligenter vitet, ne cibo prægravatus reddatur ineptus ad interna exercitia. 6 Verūtamen si ipse minùs fortè attentus metas debitæ continentie paululum prætergressus fuerit, non sit nimium pullanimis: sed ad Deum confugiens, culpam humiliter agnoscat, veniamque ab eo postulet: & innovato sancto proposito, confidat in illius benignissima pietate. Paucos invenire est, quorum spiritum non aliquantulum gravet aut præpediat cibus sumptus, dum in stomacho concoquitur: sed citra vitium crapulæ id accidere potest.

7 Qui piè secum retractat atque recogitat, Dominum Jesum fel & acetum pro nobis gustasse, faciliùs gulæ illecebras spernit, faciliùs deliciosis escis ac potibus carere potest, atque ipsa deliciosa edulia æquè temperanter & inculpatè sumit, sicut minùs sapida ac vilia.

Enchiridij
Parvulorum
Lib. I.

7. In Chrē
sti fel &
acetum
buccellā
intingat.
Ioan. 13

DOCUMENTVM XII.

Paupertas & simplicitas.

PAUCIS contentus esto, & simplicibus delectare: memor paupertatis quam pro te assumpsit, tibi que commenda vit Deus tuus. Tu discipulus, ille Magister: tu servus, ille Dominus. Gaudeat discipulus dum imitatur Magistrum: exultet servus, dum sequitur Dominum.

A P P E N D I X.

Sancta paupertatis ingentes divitiae.

Simplicitas in omnibus amplexanda: superfluitas penitus amputanda.

QVI fervet spiritu, & mundum ac seipsum verè contemnit, is superflua, curiosa, & exquisita ad suos usus non requirit: simplicitatem in victu ac vestitu, ceterisque necessarijs diligit: minùs potiùs quàm ampliùs habere semper appetit: pro his quæ sibi vel desunt, vel negligentiùs

Simplici-
tas sine
omni su-
perflui-
tate.

Euchiri-
dij Par-
vulorū.
Lib. 1.

Phil. 2.

tius administrantur, facile non
murmurat : propriæ electionis
atque optionis commodum ubi-
querelinquere paratus est : hu-
milia & abjecta opera (à quibus
superbi abhorrent) magno cor-
dis affectu peragit. Respicit e-
nim fidelibus oculis in auctorem
vitæ Dominum Jesum, qui pro-
pter nos *semetipsum exinanivit,
formam servi accipiens.*

referre vult, studeat tota mentis
intentione vitam suam ad illa
corrigere, ordinare, atque com-
ponere. ea sæpè (quemadmodū
Auctor Epistolæ infra in conclu-
sione dicit) relegens, & exactè se
discutiens, & attenteque consi-
derans, utrū id quod legit ipse
faciat. Singula per 2 meditatio-
nem, 3 desiderium, & 4 oratio-
nem in animi viscera traicere,
& indeque ad mores traducere sa-
tagat: ita ut quovis loco ac tem-
pore mox illi occurrat, quid age-
re, quid relinquere, quid admit-
tere, quidve respicere debeat.
6 Humilitatem, obedientiam,
mansuetudinem, patientiam, cha-
ritatem, misericordiam, benigni-
tatem, & continentiam Christi
pro suo modulo imitetur; prom-
ptè se in his, quæ vel desiderabi-
lia, vel naturæ contraria sunt, re-
linquens atque abnegans. Opera
sua omnia pura intentione (sicut
suprà in primo Præcepto dictum
est) ad honorem Dei peragat: sic
enim lucida, & ipsi Domino val-
dè grata erunt. Ea mirificè exor-
nabuntur, si ipse illa saltem desi-
derio conjunxerit actionibus
Christi. Exempli gratiâ: si cu-
piat, vel in animo suo statuat o-
bedire hominibus, servire Deo,
preces offerre, laborare, jejunare,
adversa tolerare, edere, bibere,
dormire in unione illius pietatis,
quâ Christus Jesus pro se factus
homo, in terra hominibus subdi-
us fuit, Deum Patrem laudavit,
ora-



APPENDICVM
COROLLARIVM.

*Vsus Documentorum precedentium,
& cautela circa exercitia spi-
ritualia.*

1. Methodu acquirendi virtutes, per sex instru-
menta: Examen, Meditationem, Desiderium, Ora-
tionem, Praxim in occursum occasionum, & Imita-
tionem ac Unionem Christi.
2. Revelationes non sunt expetenda: & si ad-
fuerint, causè examinanda, & cum humilitate ac-
ceptanda.
3. Nullo modo nos alijs propter Dei dona præ-
feramus.
4. Discretionè in exercitijs pietatis spirituali-
bus & corporalibus regula.
5. Contra pusillanimitatem & dissidentiam ad-
monitiones.
6. Eucharistia reverenter frequentanda, non
obstantibus tentationibus, aut desolationibus.
7. Excellentia meditationis circa passionem
Christi.
8. Fiducia quotidiana affectibus in Christi mise-
ricordia debet corroborari.
9. Distractiones non superantur melius, quàm
humilitate & perseverantia.
10. Non caret magno fructu oratio, etiam in
lingua quam orans ignorat.

1.
Sex in-
strumen-
ta acqui-
renda
virtutū.

I AM, qui ex prædictis præce-
ptis eximium aliquem fructum

oravit, laboravit, jejunavit, adversa pertulit, comedit, bibit, dormivit: aut si illa ipsa quæ facit, commendet offeratve Domino in unione ejusdem pietatis seu charitatis, in laudem æternam.

lius mutari posse, vel etiam jam in illis aliquas virtutes ipsi Domino cognitas & accepras latere. Non in sola regione suæ mentis solem gratiæ lucere, nec se solum cælestia desideria habere existimet: sed in alijs potiora Dei dona esse speret & confidat.

2. Non appetat illustrari revelationum vel miraculorum gratiâ, ut per ea nomen sanctitatis apud homines sibi comparare possit. 2. Quæ gratia si ei concessa fuerit, humiliter ac sapienter utatur illâ, sicut cognoverit placere Deo qui eam gratuito donavit. 3. Meminerit verò, quia Angelus satanæ nonnunquam transfiguratur se in Angelum lucis, ut per dolosas vanasque revelationes incautos fallat. 4. Etiam si magna sint, & magna esse sciat ea quæ cælitus percipit, nunquam tamen magnus & perfectus sibi videatur.

*Caute circa revelatione.
2. Non a vide am bienda.
3. Non credenda.
1. Cor. 12.
4. Humilitate servanda.*

Rationis judicium, & sanctæ discretionis moderamen, ubique sequatur. Nihil supra vires suas temerè attentet. Neque enim expedit, ut pertinaci animi decreto facere velit, quæcunque bona alios fecisse cognoscit.

*4. Discretionis norma & praxi.
1. Quis suam mensuram sciat.*

Perfectorum sublimia opera admiretur, ac pro eis Deo gratias agat, & ex eorum consideratione confirmetur, ne in parvis bonis operibus quæ agit, deficiat: sed quantum ad conversationis suæ tenorem attinet, magis attendat quid ipse ex munere divino facere possit, quàm quid illi fecerint aut faciant. Neque enim eadem gratia omnibus datur, nec eadem exercitia omnibus conveniunt, neque eodem modo omnes à Spiritu sancto moventur vel trahuntur. Sanè in hac vita non omnibus donum sublimioris contemplationis conceditur, non omnes eliguntur ut resideant ad mensam Regis æterni, & delicijs ejus plenius perfruantur: sed plurimi ad hoc deputantur, ut stent coram mensa, & per laboriosas actiones inserviant: qui tamen in futura vita simul cum his qui contem-

2. Non amuletur omnia charismata, sed sibi congrua.

3. Donis & benedictionibus Dei, quibus prævenitur, indignum se semper reputer. Non sibi adscribat quòd bonæ voluntatis sit, nec ob id arroganter alijs se præferat: sed quoslibet, etiam perverissimos, sibi in corde suo præponat. Agnoscat quia nisi ipse gratiâ Dei fervaretur atque protegeretur, mox deficeret in tentationibus, graviusque peccaret quàm illi: & quia si illi tantam gratiam à Deo accepissent quantum accepit, minus fortè ingrati essent, minusque peccarent quàm ipse. Sed & cogitet, eos repente, Deo adjuvante, in me-

*Humilitate letiter. Psalm. 11.
* Monita optima ad humilitatem crebro & utiliter inculcata, pro præxi.*

Enchiri-
dij Par-
vulorū.
Lib. I.

plationis dono hic claruerunt,
mensæ communis Redemptoris
ac Patris cælestis assidebunt, æter-
na beatitudine donati.

3. Sequan-
tur quæ-
que quod
a Deo vo-
catur, seu
ad hanc
Martha,
seu ad eam
templationem
Magdalena.

Quemadmodum autem hi,
quos in hac peregrinatione Rex
cælestis ad mensam suam, videli-
cet ad contemplationis quietem
vocat, ut cum eis delicietur, non
debent inciviliter se subducere,
neque tunc surgere ut stent, aut la-
boribus externis insistant, nisi o-
bedientia, vel charitas, seu causa
rationabilis requirat: ita mini-
mè convenit, ut hi qui ad stan-
dum ministrandumque deputati
sunt, relicto officio suo, non vo-
cati ingerant se mensæ Regali,
Regique assideant ad vacandum
soli contemplationi. Deus non
solum exercitijs spiritualibus, sed
etiam externis occupationibus
pro sui honore piè susceptis de-
lectatur. Ergò is qui in spiritu
proficere desiderat, sua sorte con-
tensus sit, & nihil (sicut dictum
est) ultrà vires suas temerè at-
tentet.

4. Modū
servet in
abstinen-
tijs & as-
suetudine
corporali.

Cibum, potum, somnumque
necessarium corpusculo suo non
neget: nec inusitatum abstinen-
tiæ rigorem facile consecetur:
nisi spiritu sancto revelante certò
didicerit id placere Altissimo.
Ad spiritualis vitæ continuatio-
nem minùs ei oberit, si de cibo
& potu aliquid paulò ampliùs ad-
miserit, quam si id quod necessa-
rium est subtraxerit.

Suas privatas actiones conve-
nientes alternet, ne fastidium
generent, & animum prægra-
vent.

In ipsis etiam internis exerci-
tijs suis immoderatam imagi-
nationem, nimisque vigorosam
mentis ad Deum conversionem,
& anxiam perplexamque sollici-
tudinem, vel etiam adnatum plus
justo vehementem, solerter vitet:
ut & capite sanus, & spiritu inte-
ger, in obsequio Dei persistere
possit.

Omnem quoque diffidentiam,
& indecentem pusillanimitatem,
implacabilemque timorem, ac
vanam tristitiam.

Et superfluos conscientiae
scrupulos (quibus libertas cordis
profectusque spiritualis præpedi-
ri solet) diligenter à se repelle-
re studeat.

Verumtamen si dolorem ca-
pitis, vel alia incommoda pror-
sus vitare nequiverit, non propte-
rea nimium deiciatur animo;
sed servatâ patientiâ, quidquid
modestum est, offerat Deo in lau-
dem æternam, etiam si ipse suo
vicio suâque culpâ illud sibi con-
ciliaverit.

Quando impijs in Deum ac-
divina blasphemijs, aut alijs in-
dignis suggestionibus intus pul-
satur, sæpè meliùs vincet, si illas
negligendo atque contemnendo,
mox signo Crucis edito, cogita-
tionem suam ad Vulnera Christi,
sive

sive ad alia sancta & convenientia transtulerit, quam si multis rationibus cum talibus contendere disceptareque voluerit.

4. *Confite-
lye priu-
dentium
pareat.* Prudentum & expertorum consilium circa hujusmodi erit ei admodum utile, maximè in initijs melioris vitæ.

6. *Euchari-
stica mē-
sa.* Quando ad sacram cælestemque mensam, in qua Christus verè sumitur, est accessurus.

1. *Medi-
tanda
charitas
Christi.* Religiosamente recolat charitatem illam stupendam, quæ ipse Dominus Deus noster pro nobis homo factus, etiam pati morique voluit.

2. *Vnio
cum me-
ritis eius,
& San-
ctorum.* Potest, ad supplendam inopiam spiritualem quæ laborat, offerre sanctissimam ejusdem Christi conversationem & passionem, vel etiam beatæ Mariæ Virginis Deiparæ seu aliorum Sanctorum merita. Precetur ipsum Dominum Jesum, ut suis meritis ac virtutibus animam egenam exornare dignetur.

3. *Sapè
frequen-
tanda, et
se ab his
sensibilis
devotio.
Ioan. 6.* Et quidem ab isto dignissimo, suavissimo, maximèque necessario convivio, ab isto unitatis Sacramento, quo Christo incorporamur, manemusque in eo, & cum in nobis manentem habemus, atque ita omne bonum accipimus, non facile se subducere debet propter tentationes quibus premitur, neque conturbari, si sensibilis devotionis consolatione destitutus est. Nam Deus unice delectatur vera humilitate & patientia, ei que sæpè magis placet afflictionis amaritudo, la-

borisque gravamen (dum bona voluntas & sanctum desiderium homini adest) quam internæ dulcedinis affluentia.

Si ei defunt lacrymæ exteriores, non desint interiores. Is cui omne vitium displicet, & qui Deum diligit seu diligere verè cupit, non caret interioribus lacrymis.

Porro ignorare non debet, illa exercitia, quibus aliquid ex passione Domini Jesu juxta gratiam sibi datam legit aut ruminat, majoris esse virtutis, quam alia spiritualia exercitia.

Omninò, sicut ille qui opobalsamum vel leviter contingit, necessariò suavem odorem retinet: ita is qui passionem Dominicam piè recollit, licet per modico affectu id faciat, nò potest non referre augmentum gratiæ divinæ.

Sed nec effigiem quidem crucifixi Redemptoris, homo Christianus Orthodoxæ fidei unquam reverenter aspexit aut aspiciet, sine grandi utilitate.

Semper memor sit Dei cultor, quòd ad virtutum perfectionem faciliùs feliciusque pertingeret, in benignissima Domini pietate sperando, & humiliter ac perseveranter orando, quam proprijs viribus atque conatibus confidendo. Credat, nullam orationem in Ecclesia Catholica fideliter fusam, carere fructu.

Si, conscientiam peccatorum remordente, nequit libero corde orare,

Enchiridij Parvulorū. Lib. 1.

4. *Vera
lacryma,
displacet
peccati.*

7. *Medi-
tatio Passio-
nis super-
rat alia
exerci-
tia;*

1. *Licet
non sit
magnus
affectus.*

2. *Est u-
tilissima.*

8. *Spes in
Christo
quotidiè
radican-
da.*

9. *Distra-
ctiones in
oratione.*

Sta-

Enchiri-
dii Par-
vulorū.
Lib. 1.

8. Humi-
li perse-
vantia e-
vane-
scant.

2. Etiam
imperf-
te oran-
tes; exau-
des Deum.

3. Suo tē-
pori re-
servat
Deum,
quod nūc
videtur
differre.

Statim culpam suam coram Deo cum humilitate fateatur, veniamque perat, & se corrigere proponat: atque ita demum sanctā fiduciā resumptā, faciem animæ suæ jam repurgatam ad Dominum per preces laudesque divinas levet.

Et quando ex humana fragilitate distrahitur, Deoque negligentius intendit, non idcirco arbitretur orationes suas prorsus inutiles esse, & rejici ab ipso Domino, qui pro sua ineffabili clementia atque bonitate omnia opera nostra æterna remuneratione digna reputat, si pijs sumus, & voluntatem nostram ab eo non avertimus, frequenterque dolemus atque ingemiscimus pro his quibus nos deficere & delinquere cognoscimus.

Non etiam propterea existimet se non exaudiri, quod orationis suæ effectum non statim sentiat aut videat: sed longanimis fideque plenus perseveret in sanctis petitionibus, Deo penitus committens quando & quomodo velit postulata tribuere. Nam misericors Dominus sæpè ea quæ concedere vult, differt in longum tempus præstare, eò quod non satis convenienter neque satis utili-

ter illa citius largiretur. Et plerumque exaudiens nos ad nostram salutem, non id præbet quod petimus (quia nobis non conducit) sed aliud quod expedit donat. Planè tories centum talenta (ut ita dicam) in thesauros reponit danda suo temporei qui piè orat, vel etiam illi pro quo oratio funditur, quoties ipse orans vel minimum nummum postulat.

Quando aliquis Latinæ linguæ ignarus, benigna religiosaque mente Deum Latinè laudat aut precatur, non minùs utilitatis ac meriti refert, quàm si linguâ sibi notâ laudes precesque suas Deo offerret. Nam & ægrotus quisque potionem medicinalem sumens sanitati restituitur, etiam si ipsius potionis virtutem ignoret.

Qui alicujus orationibus congrua pietate ac fide se commendat, fructum sancti desiderij sui apud Deum consequitur, etiam si is cujus preces experierat, orare pro ipso negligat.

Hæc pro qualicunque explanatione seu dilatarione utilissimum Præceptionum, quæ in brevi ista Epistola habentur, dixisse sufficiat.



CONCLUSIO EPISTOLÆ.

Enchiridij
dij Par-
vulorū.
Liber II

- I. Perseverandum contra crebros lapsus & defectus.
- II. Non superbiendum de gratia divina.
- III. Interna instabilitas, quando est involuntaria, non tollit meritum orationis.

Joan. 6.
& 15.
*Ad ve-
ram gra-
tiam,
Perse-
verationē
& salu-
sem.



HÆC Documenta crebrò inspicere ac lege, Deum-
que precare ut ea adimplere possis, sine cujus gra-
tia nihil * boni facere potes. Non autem de-
speres propter frequentes lapsus tuos, vel propter
passionum vitiorumque indecentes motus, qui-
bus adhuc vehementer fortè impugnaris & im-
pediris : sed ex infirmitate tua in humilitate

1.
Perseve-
randum
in exerci-
tio vir-
tutum, &
tiam in-
ter mul-
tos defe-
ctus.

proficiens, bono animo esto, ac, rejecta nimia
pusillanimitate, confide in Domino JESU. Roga eum ut malis
tuis indulgeat, merita quæ tibi desunt suppleat, bona quæ necessaria
sunt concedat, & quæ concessit, sed imperfecta habes, perficiat.
Pete, quære, pulsa : nam perseverantem proculdubiò tandem exau-
diat ille qui dixit, *Omnis qui petit, accipit ; & qui querit, invenit, &*
pulsanti aperietur.

Luc. 11.

Cum verò postulata ab ipso acceperis, cave ne de donis ejus
stultè in te glorieris, aut a liquid præ cæteris te esse reputes. Illi gra-
tias age, illi totum attribue qui totum dedit, tibi nihil adscribens
præter peccatum, quod solum à teipso est.

2.
De donis
Dei non
superbi-
endum, sed
agenda
gratia.

Porro memineris, absurda illa quæ vel dormiens ligata ra-
tione pateris, vel vigilans invitatus sentis, non adimere in te virtu-
tem, quando tibi non placent, quando consensum eis denegas.
Imò verò laboris molestia, quam in talibus sustines, virtutem per-
ornat, meritumque adauget. Interna etiam instabilitas, quæ tibi
nolenti cor inter precandum psallendumque miserè (ut verbis tuis
utar) distrahitur, non tollit orationis tuæ fructum, sicut nec in-
ternæ sterilitatis ariditatisque gelu, quo te præne assidue constringi

3.
Quævis
turpitu-
do, inter-
na insta-
bilitas,
aut per-
turbatio
nil nocet,
si non
placet.

N n n

conque-

conquereris. Sed curare debes, ut vigili, strenuâ, & fideli diligentia sanctum illud opus reverenter peragas : nam crescente in te humilitate ac charitate, aliquando tibi fore dabitur, ut serena, suavi, attentaque mente rebus divinis intendas. Vale, & ora pro me.



APPENDIX

AD

ENCHIRIDII PARVVLORVM PRIOREM LIBRVM.

S. I.

Consolatio in tentationibus & defectibus, ex B. Gregorio, D. Bernardo, & Anonymo.

- 1. Omnes in hac vita obnoxios esse tentationibus.
- 2. Exordia conversionis spiritualis deliciosa, progressus vero difficiles.
- 3. Cur non statim perveniant boni ad perfectionem.
- 4. Tentationes reprimunt elationem mentium.
- 5. Adversitas secura est ad virtutem viam.
- 6. Ama quantum potes, & sufficit.
- 7. Non tantum innocentes, verum etiam penitentes diligis Deus.

Beatus GREGORIUS ait :

I. Omnes obnoxios tentationibus,

HOMO in sua conversione sæpè multum affligitur, dum hinc spiritus vocat, hinc caro revocat; hinc amor novæ conversationis invitat, hinc usus perversee verustatis impugnat.

Maxime qui ferventiores sunt,

Hostis noster adhuc in hac vita nos politos, quanto magis sibi re-

bellare conspicit, tanto amplius expugnare contendit : eos enim pulsare negligit, quos quieto jure possidere se sentit.

Quisque in ipso conversionis initio magna plerumque excipitur dulcedine consolationis, sed durum laborem postmodum experitur probationis.

Sæpè conversus quisque in eo fallitur, quod dum quibusdam donis gratiæ per dulcedinem inchoationis excipitur, confirmationem accepisse se perfectionis arbitratur : & plenitudinis consummationem æstimat, quæ adhuc blandimenta esse inchoationis ignorat. Ne ergo conversus jam sanctum se esse credat, dispensante Deo permittitur, ut post conversionem suam tentationum stimulis fatigeretur.

Plerumque virtutes, dum plus quam

quæ fit
perfectum

quàm necesse est exuberant, vim suam exhalant. Vnde Dominus electorum suorum & ante tempus desideria implere renuit, & rursus in tempore intra mensuram profectus premit: ne, si aut antequàm debent aut plus quàm debent proficiant, per profectus sui magnitudinem in elationis defectum cadant.

4. Elatio mentis deprimatur sensu rationis.

Plerique cum desideria sancta concipiunt, in summis etiam exerceri virtutibus inardescunt: ut non solum culpa operationem non inquinat, sed nec cogitationem pulset. Et adhuc quidem in corpore positi sunt, sed nihil iam perpeti de communionem presentis vitæ volunt: imitari per intentionem internam mentis stabilitatem appetunt, sed interuenientibus tentationibus reuerberantur: ut videlicet infirmitatis suæ meminerint, & elati de virtutibus, quas accipiunt, non sint.

5. Via crucis per tribulationem nec iuta est.

Si sola nobis adsunt prospera, solvitur; ad virtutem verò melius per aduersa solidamur. Deus igitur providè cuncta disponens, electos suos inde robustius in integritate custodit, unde eos per inimici tentantis impugnationem aliquo modo ab integritate labefactari permittit.

Divus BERNARDUS.

6. Ama Deum, quantum potes, & sufficit Deo.

Diligam te Domine pro dono tuo, & modulo meo. Si quantum debeo, non possum, non possū tamen ultrà quàm possum. Potero verò plus, quādo plus dare dignaberis: nunquā tamen prout dignus haberi. *Imperfectum meum vi-*

Psal. 138.

derunt oculi tui: sed tamen in libro tuo omnes scribentur, qui quod possunt faciunt, et si quod debent non possunt.

Enchiridij Particulorū. Lib. 1.

ALIUS quidam.

Deus diligit non solum iustos, qui semper in innocentia vixerunt; sed & eos, qui post multa atq; enormia crimina resipiscunt, seque diligenter corrigunt: isti enim sunt chara vasa misericordiæ ejus. Illorum animas per virgines, istorum verò animas per proximas intelligimus designatas esse à Psalmista, loquente de præclara Regina, sponsa Regis Christi, ac dicente, *Adducentur Regi Virgines post eam, proxima ejus afferentur tibi.* Tam istæ, quàm illæ perveniunt ad patriam cælestem, sicut idem Psalmista consequenter asserit, dicens: *Afferentur in lætitia & exultatione, adducentur in templum Regis.* Quare autem Deus aliquos ex electis suis in innocentia conservet, alios graviter peccare permittat, non est nostrum inquirere: id enim in profundo consilij judicijq; ejus latet.

7. Non solum innocentes amat Deus, verum & penitentem.

Psal. 44.

§. II.

Orationis frequentia. Eucharistia fides & Communio.

EX R. D. LVDOVICO BLOSIO.

- 1. Ubique orandum, maxime tamen in templo ad eum suum erectū.
- 2. Missa Sacrificium, amoris est miraculum.
- 3. Eucharistia & transsubstantiationis fides juxta Catholicæ Ecclesiæ veritatem firmiter tenenda.
- 4. Frequens Eucharistia communio.

Dominum Deum nostrum, qui spiritus est, qui ubiq; est, N n n 2 possu-

1. Templi orationis

Enchiri-
dij Par-
vulorū.
Lib. 1.

causa cū
devotione
frequen-
tanda.
Ioan. 4.

Propter
Eucharis-
tiam &
Angelos
assisten-
tes.

possimus etiam ubique locorum
convenienter adorare, venerari,
colere, ac precari: sed id con-
venientissimè facimus in Oratorijs
nomini ejus consecratis. In qui-
bus Christianos omnes cum ma-
xima reverentia, & decentissima
interioris exteriorisque hominis
compositione adesse oportet, pro-
pter ipsius summi Dei, & beato-
rum Angelorum eximiam gratio-
samque præsentiam. Qui verè in-
tus illuminati & copiosius uncti à
Spiritu sancto sunt, ineffabili per-
funduntur gaudio, quando coram
venerabili Sacramento Dominici
Corporis, & coram invisibilibus
gloriosissimisque illis cæli prin-
cipibus spiritibus Angelicis assi-
stunt. Nullus eis locus in hoc
mundo est gratior domo oratio-
nis, adeò ut à templis sanctis ægre
plerumq. avelli possint: quæ dum
procul aspiciunt, si accedere &
ingredi prohibentur, devoto cor-
de saltem salutant, & æternæ
majestatis Dominum religiosè a-
dorant.

2.
Ad esse Sa-
crificium
excessum
indicat
charitatis
Christi.

O quàm stupendus & quàm
inexplicabilis est summi Dei erga
nos vermiculos amor, qui in Missæ
Sacrificio quotidie cum numero-
sa Angelorum multitudine se mi-
rè præsentem nobis exhibere
(† etiam si Sacerdos, qui sacrifi-
cat, malus sit) dignatur! ita ut

† Hoc est signū bonitatis in amante nos Deo.
Hoc de omnibus Sacramentis per malos mi-
nistros confectis, aut collatis docet D. Tho-
mas 3. parte quest. 64. art. 5. & citat sanctū
Augustinum Tract. 5. In Ioannem: *Quid tibi
facit malus minister, ubi bonus est Dominus?*

apud nos non minùs verè sit ipse
Dominus Iesus, quàm in cælo est.
Meritò ad tantam divinæ charita-
tis dignationem ac dulcedinem
corda nostra amore resoluta peni-
tus liqueferent. Meritò etiam
iter prolixum promptissimè &
cum ingenti exultatione suscipe-
re deberemus, quò possemus ip-
sius Missæ sacrificio divinisque
mysterijs interesse. Sic enim a-
nimæ nostræ supernis fulgoribus
frequenter irradiatæ, caduca om-
nia facilè contemnerent, & ea
quæ sursum sunt ardentè ama-
rent.

Non magis licet inquirere, quo-
modo in Sacrificio Missæ, Sacer-
dote verba consecrationis profe-
rente, panis in Corpus Christi, &
vinum in Sanguinem converta-
tur, quàm quomodo Deus ex pu-
rissimis sanctæ Virginis Mariæ
sanguinibus carnem sibi aptave-
rit.

Vbi enim Deus operatur, non
opottet quærere quomodo: sed
indubitata fides his quæ à Deo
sunt adhibenda est. Firmissimè
credere debemus, panem in verū
Christi Corpus, & vinum in verū
Sanguinem, operatione Spiritus
sancti, virtute verbi divini, virtu-
te omnipotentis, transmutari.

Quid quærimus naturæ ordinē
in Christi Corpore, quod præter
naturam natum est ex Virgine?
Nos legimus de mundi operibus,
quòd Deus dixerit, & facta fue-
rint; quòd mandaverit, & crea-
ta sint. An verò qui ex nihilo
potuit

Psalm. 145. deducere ad esse ea quæ non erant, non potest ea quæ sunt mutare in id quod non sunt? In mundi hujus exordio dixit, *Germinet terra herbam viuentem*; & ita factum est, atque hæcenus perduravit, perdurabitque in posterum virtus illius præcepti; & ipso dicente, *Hoc est corpus meum, hic est Sanguis meus*; non est quod dicit? Ipse hoc dixit, dicendumque infuituit.

3. Contra Sacramentorum figuram.
1. Cor. 11. Prorsus verba illa veritatem Corporis Dominici expriment: neque enim dixit Dominus, *Hoc est figura Corporis mei*, sed, *Hoc est Corpus meum, hic est calix Sanguinis mei, &c.*

4. Non descendit Corpus Christi ad panem, sed panis convertitur in Corpus Christi.
 Non autem arbitremur Corpus Christi ad enuntiationem divinorum illorum verborum de scelo descendere, ut in altari adsit: † sed inconcussa fide credamus, ad eorundem verborum debitam prolationem, virtute divina, non sacrificantis merito, panem vinumque converti, & (ut planius dicam) transsubstantiari in Corpus & Sanguinem Christi verè ibi præsentis, ipso nihilominus beatissimo Corpore in cælo ad dexteram Patris manente. * Nam & figura hominis (si sensibili exemplo in retanta uti convenit) ita effingitur in speculo oblato, ut tamen ab homine non recedat.

† Theologicas hæc de Transsubstantiatione sententias repetiet Lector fufius disputatas apud Scholasticos in D. Thomam 3. parte quæst. 75. & 76. Hic verò moneo, ut tres elegantissimæ similitudines de Eucharistiæ mysterio annotentur.

Non est aliud Corpus Christi in cælo, atque aliud in Sacramento: sed unum omninò & idem ubique est. Quàmlibet multæ habeantur Hostiæ consecratæ, sub qualibet earum integrum Corpus Christi subsistit: * quemadmodum videmus eandem faciem humanam efformari integram in pluribus objectis speculis, & verbum humano ore prolatum excipi integrum plurium audientium auribus. Imò verò facta unius Hostiæ consecratæ divisione, sub singulis partibus separatim integrum Corpus Christi consistit: * veluti contracto speculo facies hominis in quolibet fragmento exprimitur non minùs integrè quàm in toto speculo.

Quando autem frangitur & dividitur Hostia consecrata, hujusmodi fractio live divisio non fit in Christi Corpore, cum jam immortale sit, sui que sectionem nullatenus admittat: sed fit in specie Sacramenti, nempe in figura panis.

Santissimum hoc mysterium, quod supra naturam est, sola fides capere potest. Fit ita, quia Deus vult ita, Deus ita instituit. Intellectus noster, qui quamdiu in hoc exilio degimus imbecillis hebesque est, divinæ Majestatis opera atque consilia comprehendere nequit: proinde nec ea temerè comprehendere velimus, reprehendere verò nullo modo audeamus.

A salutifera esca Corporis Dominici nullus bonæ voluntatis Nnn 3 facile

Enchiridij Parvulorum. Lib. 1.

5. Unus idemque Corpus in cælo & in Sacramento.

** Similitudo secunda*

6. In singulis Hostiæ parvulis.

** Similitudo tertia.*

6. Fractio fit in Sacramento, non in Corpore.

7. Hæc fit de sola ea piuntur.

4. Pulchra comparatio.

Enchiri-
dij Par-
vulorū.
Lib. 1.

et o invi-
tans ad
erebram
Commu-
ni nem,
et ramim
pe fectio
at hō na
volunta-
ti homi-
nes.

facile se subducere debet propter indignitatem suam. Quemadmodum enim parvulus Regis filius etiam cum his puerulis, qui obscuro loco nati, & vilibus vestimentis induti sunt, ludere gaudet: ita Dei ac Regis summi filius Jesus Christus, per Sacramentum Eucharistiæ libenter se adiungit non solum perfectis, verum

illis quoque qui multis quidem imperfectionibus sunt obnoxii, non tamen ipsas suas imperfectiones amant, sed ad meliora semper contendunt, & ab omni peccato lethali immunes se (Deo adjuvante) servare student.



ENCHIRIDI
PARVVLORVM
LIBER POSTERIOR.
DE PRÆPARATIONE AD FELICEM MORTEM.

DE PATRIA CAELESTI, DE DEO,
ET CREATVRA RATIONALI.

CAPVT I.

Preparatio ad mortem.

1. Maxima sollicitudine vigilandum est, appropinquante mortis probabili periculo.
2. Cura seculi primò abicienda. Deinde sumendum Sacramentorum viaticum, tum resignatio in manus Dei facienda.
3. Postea cogitanda Christi passio, ejuque merita fide viva Deo offerenda.
4. Invocanda B. Virginis & Sanctorum patrocinia.

1.
Pia solli-
citus in
moris
articulo.



SEMPER quidem vigilare, semper lumbos præcinctos, & lucernas ardentes habere

debemus, ut cum venerit Dominus, ac pulsaverit, confestim aperiamus ei: maximè tamen horâ moris evidentè appropinquante, id studiosissimè agere convenit. Quisquis igitur Deum piè colis, dum morbo correptus mortem jam vicinam expectas, vide ut ad felicem exitum sedulò te præpares.

Expedi cor tuum à curis & sollicitudinibus hujus sæculi, Sacramenta

CAPUT II.

Protestatio morituri; quæ se confirmat contra tentationes, & ut assistentes edificet.

Laudat hanc protestationem R. P. Antonius Balenghem lib. 2. de Orat. jaculat. cap. 4. Adhæc cum præclaro Blossij elogio Rev. P. F. Didacus Yepes à Confessionibus Philippi II. Hispaniarum Regis Catholici, narrat in morte Regis, Regum ipsum totam hanc protestationem Hispanicè moribunda voce pronuntiasse. Similem huic moribundi Protestationem reperiet pius Lector apud R. P. Antonium Sucquet. lib. 3. Viæ vitæ cap. 25.

1. Veniam offensarum petere, & vicissim dare.
2. Agnoscere peccata sua cum dolore, & petitione indulgentiæ.
3. Fiduciam in misericordia Dei collocare, propter Christi merita & passionem.
4. Ore profiteri, & corde amplecti fidem Catholicam, ejusque symbolum.
5. Protestatio, quæ infectum statuit & cupit, quidquid morbi violentia, aut tentatio indeliberata voluntati extorserit.


Valdè utiliter hanc aut similem protestationem, facies: *Vtilis protestatio morituri, petit, & dat veniam offensarum.*
Ego peccator indignissimus, redemptus preciosissimo Sanguine Domini nostri IESV Christi, palam profiteor me sincero corde ignoscere omnibus, qui quovis modo mihi iniuriam vel molestiam aliquam unquam intulerunt: & humiliter rogo tam presentes quam absentes, omnes, ut mihi vicissim ignoscant & dimittant si in aliquo eos offendi.

Agnosco me hactenus non vixisse pure nec sanctè coram Domino, sicut vivere debueram: agnosco sceleram meam multam nimis: agnosco culpas & negligentias meas infinitas. Agnosco quidquid mali per omnem vitam

Viaticum menta pro viatico grata mente
petat, suscipe, & animam tuam Deo
Deo ser. commenda.
visignet.

3. *Passionem* Recole passionem pijsissimi Redemptoris tui: beatam ejus crucem in spiritu amplectere: osculare rosea illa Vulnere, teque totum eis imprime: ut ibi abditus, feliciter evadere possis omnes diaboli laqueos & insidias. Roga Jesum, ut suo pretioso Sanguine te abluere, universaque peccata tua delere dignetur. Pro meritis bonorum operum, quæ tibi desunt, offer Deo Patri merita illius, offer sacratissimam conversationem, passionem, & mortem ipsius: offer merita dulcissimæ ejus Genitricis Mariæ, ac Sanctorum omnium. Ita enim fiet, ut tu qui ex te miser, pauper, ac nudus es, ornamentis spiritualibus mirificè decoratus appareas.

4. *S. Mariæ* Comenda te ipsi benignissimæ *alioq.* Virgini Deiparæ, ceterisque cæli *Sanctor* civibus, illis potissimum quorum *invocet.* venerationi peculiariùs fuisti addictus: certò credens, eos tuam orationem, piunique animi tui affectum agnoscere. Sanè si Mariam ex corde invocaveris, si ad eam humiliter & confidenter converteris, ipsa introitum regni cælestis, quem tua iniquitas justitiæque divina tibi fortè occludebat, aperiet. Mater enim misericordiæ, & porta paradisi est.



Enchiridij Parvulorū.
Lib. 2.

Bachiri-
dii Pac-
vulorū.
Lib. 2.

vitam commisi, & supplici mente à misericordissimo Domino Deo nostro veniam peto: dolens quod unquam eum offenderim, & proponens deinceps vitare peccata.

3.
Excitat
fiduciam
in Deo.

Quamvis autem graviter & multis modis hactenus deliquerim, non tamen diffido de omnipotenti & benignissima misericordia ipsius Redemptoris mei: sed spero me per meritum passionis, & mortis eius, non autem ita per merita mea participationem futurum aeternae vitae atque hereditatis. Ego ipsam passionem eius sacratissimam, pro refugio munitamentoque tutissimo habeo: ego eam inimicis meis invisibilibus semper & ubique, tanquam armaturam inexpugnabilem, obijcio; eam sanctae Trinitati pro meritis, quae mihi desunt, & pro perfecta satisfactione de peccatis meis offero.

Per Chri-
stum &
passionem
ac mortē
eius.

4.
Fidem
Catholicā
profiteor
Symbolo.

Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem caeli & terra: & in Iesum Christum filium eius unicum Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus. Descendit ad inferos, tertia die resurrexit à mortuis, ascendit in caelum, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis, inde venturus est iudicare vivos & mortuos. Credo in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, & vitam aeternam, Amen.

5.
Protesta-
tionē

Protestor coram ipso omnipotenti Deo, & coram tota curia caelesti, me

cupere & velle in ea fide vitam hanc finire, in qua convenit obedientem sanctae Matris Ecclesiae filium mori. Protestor me credere universa quae ipsa Catholica fides continet, & quae à veris Orthodoxis, Christi fidelibus credenda sunt. Quod si vel impugnatione diaboli, vel violentia morbi pressus, aliquid huic proposito contrarium cogitarem, loquerer aut facerem: † tam illud revoco, & contestor me nullo modo consentire talibus cogitationibus, verbis, aut operibus. Gaudeo, & gratias ago misericordissimo Creatori & Salvatori meo, cuius ineffabili pietati me in sancta fide Christiana moriturum confido. In manus eius sanctissimas animam & corpus meum nunc & in hora mortis meae commendo.

† Tametsi forte apud D. Thomam 1. 2. q. 73. circa art. 8. Doctores disputare possent, an voluntarium vel involuntarium per ejusmodi protestationem precedentem possit accedere aliquem actum sequentem, tamen videtur clarum & certum, placere Deo formulam ejusmodi protestationis, quae quis ex vehementi execratione peccati, quando est extra tentationem positus, coram Deo, sincero corde revocat quidquid forte ex fragilitate sua aut tentationis violentia, vel indeliberate, vel etiam deliberate post esset in Deum commissurus. Hoc credendum est voluisse David Psalmo 29. Ego autem dixi: in abundantia mea: Non movebor in aeternum. Item Gen. 22. Alligatio & vincula Isaac ante sacrificium sponte suscepta, protestatio quaedam fuit Deo gratata, quae potestatem sibi adimebat resistendi ab obedientia, si forte gladio patris aut mortis terrore in prioris voluntatis proposito nutare contingeret.



CAPVT

CAPUT III.

De mortis formidine moderanda.

1. Mortu metui naturalu est, & in omnibus etiam sanctissimu inveniri solet.

2. Eo non obstante, solent fideles mortem à Deo acceptura fortiter: atque ut hoc doceret, etiam ipse Christus metum illum voluit assumere.

3. Patientia in angustijs morbi & mortu sedulo conservanda.

4. Mortu non debet à nobis gravatè acceptari, cum eam pro nobis Christu acceptaveris.

7. **S**I in te fluctuat & metu concutitur naturæ infirmitas, si tristitiâ deprimeris, & horror mortis sese ingerit: non propterea existimes te à Deo derelictum esse, vel ad eum non pertinere. Nam plerique etiam magnæ sanctitatis viri ac feminæ, morte imminente, pavorem (Deo id utiliter permittente) sentiunt: plerique per hujuscemodî formidinem à levibus quibusque culpis purgantur.

* Habes exemplum Christi & S. Hilariionis in vita eius per S. Hieronymu; & alioru quos pavor in morte aggressus est.

2. Cum quo tamen accipere possumus mortem libenter.

Exemplo ipsius Christi Domini.

Matth. 26.

Ipsi iusti, qui mortem propinquam timent, eandem, quam timent, parati sunt per humilem mentis fortitudinem, & per sincerum Dei amorem suscipere: comparandi nimirum egregijs militibus, qui prælium commissuri, & pavore percelluntur, & tamen pugnam constanter ineunt. Christus Jesus volens consolari quoslibet electos suos, qui ex fragilitate humana ad mortis expectationem tædio affecti tristes sunt & trepidant, transtulit in se eorum infirmitatem, quando imminente passione pavens ac mœrens dixit. *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Non ergo te à

Deo alienum esse existimes propter mœrorem quo gravaris. Transit ipsa tristitia cum fine: veniet lætitia sine fine.

Enchiridij Pavoru. Lib. 3.

Quamvis dolorum aculei pungant, & cruciatus undique torqueant: tu tamen patientiam serva, & persiste in sancta spe, sanctaque erga Deum fiducia. In omnibus abnega te, & trade ipsi Domino, subinde dicens id quod Redemptor tuus sub mortem angustijs pressus dicebat, *Pater, fiat voluntas tua*: sic enim requiem atque refrigerium invenies. Memento quia *sive vivimus, sive morimur, Domini sumus*: & sive vivimus, sive morimur, in illo benè nobis erit, si nos unitatem Ecclesiæ Catholicæ retinentes, pij atq; humiles sumus. Erigant animu tuum verissimam hæc verba Domini Jesu. *Qui credit, inquit, in me, etiam si mortuus fuerit, vivet: & omnis qui vivit, & credit in me, non morietur in æternum.*

3. Patientia in angore mortu cum spe bona & refignatione.

Matth. 26. Consolatio dulcissima.

Rom. 14.

Ioan. 11.

Non tibi videatur durum corporaliter mori, cum ipse Christus mortem carnis subierit. Ille præcessit, & veluti viam stravit, commodamque reddidit, ne te pigeret sequi: illius igitur mors mortem tuam soletur. Precare eum, ut illa sua pretiosissima morte tuam undique contegat, muniat, sanctificet, & sibi gratam reddat. Corpus istud corruptibile quod relinquis, velut amarus cortex nucis est, vile ac sordidum animæ vestimentum modò est. Quid ad te si computrescat, si in cinerem

4. Christus prægressus vit mortem, ut nobis dulcesceret.

Sachiri-
dij Par-
vulorū.
Lib. 2o

& favillam redigatur, ubi illud deposueris? Securus exue vestem, quam Deus tuus aliquando restituet tibi integram, fulgidam, atque incorruptibilem. Qui Deum perfecte diligunt, resolutionem suam cupidè expectant, etiamsi non sine aliquo timore & mœrore ad eam fortè perveniant. Quilibet talium istud cum grandi affectu Deo dicere potest: *O Domine, quando, te permittente, corpus meum revertetur in pulverem, & anima mea liberè refluet in te suam originem?*

CAPIT IV.

Contra anxietatem mortem ex incertitudine salutis post mortem obtinendam.

1. Sufficere debet fidei morituro certitudo ea, quæ scit, Deum posse & velle salvare omnes humiles & bona voluntate præditos.
2. Purgatorium timendum, sed cum resignatione in divinum beneplacitum, si nos eâ vult rele-gare.
3. Sancta anima nollent salum ingredi, nisi plene purgata.
4. Oratio pro defunctis multum prodest ad eorū liberationem.

1. Certum est Deum posse & velle salvare hu-miles.

Fortè hoc te angit, quòd igno- res quomodo te migrantem Deuse excepturus sit, utrùm ad æternam paradisi requiem, an ad transitoriam Purgatorij pœnam. Non est necesse te aliquid horum scire. Sicut tibi placet dulcedo divinæ misericordiæ peccata dimittentis: ita displicere non debet pulchritudo divinæ justitiæ peccata expiantis. Perfecti viri,

quòd digniùs emendare possent quidquid in benignissimum Redemptorem suum commiserunt, parati essent non solum ad purgatorium, verùm etiam ad † infernum descendere, si divinæ justitiæ decor id omninò exigeret. Ista certitudo tibi sufficiat, quòd habeas Dominum pijsimum, qui & potest & vult salvare te, si humiliatus confidas in eo, non in te. Multum illi placemus, quando voluntatem ejus ita diligimus, & providentiæ ipsius tam plenâ fiducia nos in spiritus humilitate committimus, ut etiam nescire gaudeamus, quid ipse circa nos agat. Tu igitur ejus dispositioni tetotum credens, mortem lætus expecta. Qua præsentè, egredere securus ad Patrem clementissimum, exoptans ut non minùs in æternitate, quam in tempore utatur te quemadmodum voluerit. Egredere, inquam: non tanquàm carceri crudeliter ab eo mancipandus, sed tanquam sinu misericor-

† Nulla resignatio aut charitas tanta esse potest, ut quis paratum se offerat ad ullam culpam vel flagitium; sed, salva semper nate gratia, Dei citra peccatum, potest sese quis charitate ardens promptum offerre Deo ac resignati ad quasvis pœnas aut supplicia, etiam apud inferos æternum duratura, si hoc sine ullo peccato nostro Deus decernere vellet. Estque ille modus, quo Reverendissimus Antistes Antuerpiensis Joannes Malderus, & passim Doctores apud D. Thomam 2. 2. q. 26. art. 4. explicant resignationem Moysis Exodi 32. & Apostoli Pauli Rom. 9. quando ille offert sese ut deleatur de libro vitæ; iste, ut anathema fiat. Non enim offerunt sese ut vel levissimâ culpam admittant, sed ut pœnam quamvis gravissimam subeant, si ita Deo videatur.

INSTRUCTIO VITAE ASCETICAE. 285

Recordiæ piè suscipiendus atque fovendus.

Quod attinet ad Purgatorium,

Purgatorium cum v signatione ci- quodam.

sanè illæ quoq; animæ, quæ non admodû multa purganda secum hinc deferunt, dolent plurimùm quòd non satis purè vixerint, unde & à perfectis regni cælestis gaudijs percipiendis retardari debent, quæ retardatio eas valdè affligit. Nam corporibus exuræ, cum jam Deum clariori intellectu cognoscant quàm hic cognoscebant, ob id quæ avidius eum appetant, non possunt non vehementer cruciari ex dilatione tam infabibilis boni. Licet verò pœnas suas (quibus juxta modum culparum nondum expiatarum torquentur) non ament, nequaquã tamen eas invitè tolerant: neque enim voluntatem à Deo averfam habent, sed libenter divinæ justitiæ consentiunt. Sanè de adipiscenda post earundem pœnarû finem æternæ beatitudinis gloria certæ sunt, nec ad hanc vitam (in qua multa peccandi pericula sunt) redire vellent.

Ab dilationem vi- gnam Dei qua est pœna dâ- ni gravif- fima. Libenter ab anima- bus in Purgato- rio tolera- tur.

3. Nollens intrare calum, nisi perfectè prius pur- gatus.

Sed & (ut ita dicamus) si liber eis pateret introitus ad ipsum regnum cæleste, cum gratiosa reverentia subducerent sese, & ingredi nollent quousque per plenam purgationem tanta felicitate dignæ redditæ forent: scientes nihil inquinatum illi summæ puritati perfectè conjungi copulariq; debere. Quælibet earum dicit id quod fidelis quisque in tribulatione constitutus dicere solet, vi-

delicet: *Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei, donec causam meam indicet, & faciat iudicium meum: Expectabo Deum Salvatorem meum, educes me in lucem, & videbo iustitiam eius.*

Eneiri- dij Pag- voloru- Lib. 2o

Mich. 7]

Porro pius & suavis Dominus ipsas electorum suorum animas, quas post mortem carnis adhuc purgari necesse est, in tantum diligit, earumque liberationem tam ardentè desiderat, ut, si nos benigna charitate moti, pro illarum absolutione fideliter precemur, & adorandam sancti altaris Hostiam, sive merita Christi Jesu, vel psalmodiam, aut quælibet alia salutaria offeramus peragamusve, hoc non minùs gratum habeat, quàm si eundem Dominû nostrum carcere conclusum consolationibus relevare atque adiutorio liberare studeremus. Ipse enim dixit, *Quod fecistis uni ex meis minimis, mihi fecistis.*

4. Oratio vñ vorum & Missa pro defunctis

Matthæ 25.

CAPUT V.

Expectatio cælestis beatitudinis, via nostra solatium est.

1. *Spes beatitudinis exoptu maximè exhilarat fideles Dei amatores.*
2. *Vt ad illam perveniant, mors eù optabilis est.*
3. *Admiranda consolatio anima fidelis à corpore piè egredientis.*

Nihil est quod fidelem amantemque animam in præsen- ti exilio magis exhilaret, quàm quòd sperat se (postquam hujus vitæ stadium emensa fuerit) per-

1. Solatium via, est spes pa- tria.

Enchiri-
dij Par-
vulorū.
Lib. 2.

venturam ad beatum illum sinum
aeternae pacis: ubi nullo amplius
vitio inquinabitur, ubi nulla ten-
tatione, nullo timore, nullo pe-
riculo, nulla anxietate, nulla re-
rum vicissitudine affligetur; ubi
plena charitate Deum absque ali-
quo impedimento, absque labo-
re, absque fatigatione, absque fa-
stidio laudabit; ubi per omnia il-
li placebit, ubi denique tota illum
possidebit, & ab illo tota possi-
debitur.

2. Cum hæc in vita præsentī sta-
biliter & integrè haberi non pos-
sint, meritò mors ipsa justis opra-
bilis, vel certè tolerabilis est.
Sentiunt enim quàm sit gravis vi-
tæ mortalis hiems, ob idque æsta-
tem vitæ immortalis desiderant.
Verè tristis hiems est hæc vita,
quam corruptionis propriæ tor-
por constringit, quam ignorantiae
caligo obnubilat, quam præmia
tot molestiarum, tot laborum,
tot ærumnarum imbres irruentes
quotidiè atterunt. Qui premen-
te hieme afflicti suspirant, ubi æ-
stas advenerit, & umbrâ mortali-
tatis inclinatâ dies æternitatis a-
spiraverit, accepta consolatione
gaudebunt.

3. Beata illa anima, quæ audiens
vocem sponsi dicentis, *Eccce venio*
cirò, mox exhilarata respondet,
Veni Domine Iesu. Et felix illa
hora, ac tempus illud optatissi-
mum, quando ipse cælestis spon-
sus animæ sanctæ de carcere cor-
poris egredienti lætus occurrit,
eamque blanda allocutione in-

Edoque
enori opta-
tur, ut in
gressu ad
veram
viam &
reditur
ad exilio
ad pa-
tiam.

Cant. 2.
Cant. 4.

3.
Beata
mori ani-
me velut
sponsa ad
nuptias
abvenit!
Apoc. 2.

vitat, dicens: *Surge, propera, a-*
mica mea: iam enim hiems transiit,
imber abijt & recessit, flores appa-
ruerunt in terra nostra, vineæ floren-
tes odorem dederunt, & vox turruis
audita est in terra nostra. Egredere
cum iucunditate, filia charissii-
ma, nihil trepides, nihil expavesca:
evadis exilium, relinquis miseriam
calamitosi sæculi. Non iam erit
dolor, nec gemitus, deinceps corpus
quod corrumpitur non aggravabis
animam: introducta enim in gau-
dium Domini tui, de incorruptionis
munere sine fine lætaberis: exulta-
bis, & cantabis æternum Alleluia in
gloriosa civitate, ac beata domo
mea. Sic videlicet merebitur in
exitu suo consolari anima perfe-
cta, & sponsa casta, quæ non hoc
sæculum, sed Deum diligit.

CAPUT VI.

Cælestis patriæ contemplatio.

1. Felicitas patriæ cælestis:
2. Euvisione Dei beatissima,
3. Ex affectu Christi, B. Virginis, ac sanctorum
Angelorum & hominum;
4. Ex cognitione rerum omnium quæ in Deo
lucubunt;
5. Ex donis corporum gloriosorum, & elementis
renovatione.
6. Pulchritudo mundi visibilis: imago qualem
est futura gloria:
7. Quidquid enim in hoc mundo delectat, longè
feliciori modo erit in celo.
8. Istum ergò mundum contemnamus, ad futu-
ram vitam anhelamus.

O Cælestis Ierusalem! ò patria
dulcis & amabilis! patria
claritatis immensæ, quam ipse
Deus lux vera, lux increata illu-
minat, in qua etiam tot sunt quasi
soles,

soles, quot sunt Angeli & electæ animæ, de te quid scribitur? quid dicitur? quid creditur? In te est perfecta cognitio omnium quæ scienda sunt, & quæ creatura rationalis scire appetit: in te est pax & requies omnem sensum exuperans: in te est dies sempiternus, & unus omnium spiritus: in te est certa securitas, & secunda æternitas, & æterna tranquillitas, & tranquilla felicitas, & felix suavitas, & suavis jucunditas: in te est omne bonum.

2. O quantum gaudium, quantum sincerissimæ voluptatis torrens nobis erit, videre Deum sicuti est, clarissimè contemplari illam incomprehensibilem gloriam, inæstimabilemque illam pulchritudinem fulgentissimæ Trinitatis, & perfectè gustare ineffabile illud nectar divinæ dulcedinis ac suavitatis! liberrimè amplecti Deum, plenissimè frui Deo! habere eum intus in nobis præsentem tanquam vitam nostram, sentire in substantia animarum nostrarum inhabitantem, & inundantem Divinitatem sicut fluminis impetum!

3. Jucundissimè aspicere illud præcellentissimum ipsius Divinitatis templum, videlicet Corpus Christi gloriosum! jugiter intueri gratiosissimam ejusdem Unigeniti Dei Matrem, cælique Reginam inclytam Virginem Mariam! cum ea & cum Angelis omnibus, atque cum ceteris cæli civibus perpetuū habere consortium, ac singulos

distinctè penitusque cognoscere! omnium denique rerum creaturarum geneta, species, naturam, vires, ordinem, & quidquid ad mundi perfectionem seu decorem attinet, exactissimè scire, apertissimeque speculari!

Majus est intueri Creatorem, quàm universam creaturam: qui Creatorem videt, quod majus est, creaturam quoque ejus intuetur, quod minus est. Hinc beatus Gregorius ait: † *Anime videnti Creatorem, angusta est omnis creatura.*

Et rursum, *Anima*, inquit, *sancta in celo, quia intus claritatem Dei vident, nullo modo credendum est aliquid foris esse quod ignorent.* Profectò, Deum sicuti est vidisse, est omnia didicisse. In illa præclara Dei civitate etiam minoris gloriæ cives prædicta omnia pro suo ca-

ptu ac modulo obtinebunt: nam & beata Dei visione in æternum vivent, & casta ejus dilectione in æternum perfruentur, & cum ipso feliciter in æternum regnabunt. Propter minus meritum ibi non dicetur, nec erit aliquis imperfectus: quia quod quisque in se non habebit, hoc per charitatem in alijs possidebit. Quis plura? Omnes ibi pleni Deo erunt, & immeriti atque absorpti delicijs gloriæ ejus, nihil ulterius appetent.

Ooo 3

Quod

† De visione creaturarum in Deo velut in speculo, citant Scholastici varios sanctos Patres apud D. Thom. 1. p. 9. 12. art. 8. 9. 10. & plerumque ex S. Gregorio lib. 4. Dialogorum cap. 33. tum hæc, tum illa de Beatis omnia in Deo videntibus: *Quid est quod ibi nesciant, ubi scientiam omnium sciunt?*

Enchiridij Parvulorū. Lib. 2.

Jucundissima cognitio creaturarū.

4. Omnia vides. Dum vident.

Diversi gradus gloriae & charitate sine intervallo.

Philip. 4.

2. Visio beatifica Dei & fruivisio, de quibus D. Thomas 1. 2. q. 3. art. 4.

Mal. 45.

Aspirum Christi.

Virgines.

Angelorum.

Sanctorum.

Enchiri-
dij Par-
vulorū.
Lib. 2.

Datur
beatitudo
anima
ante re-
surrectio-
nem car-
nū.
Apoc. 6.

5.
Dotes
corporū
gloriosi,
& calorū
ac elemen-
torum re-
novatio.

6.
Mundu
visibilia
umbra
gloria
futura.

Quod habebunt, nunquam fasti-
dient: semper enim illud deside-
rabunt, & tamen illo semper sa-
tiabuntur. Simul hæc duo erunt,
ardens desiderium, & plena satie-
tas. Ceterum ipsi electi Dei in
cælum translati, felicitatis æter-
næ præmia ante resurrectionem
cumulatissimè in anima perci-
piunt.

Post iudicium verò illa etiam
in carne percepturi sunt, quando
scilicet corpora eorum jam im-
mortalia, incorruptibilia, pura,
suaveolentia, agilia, subtilia, cla-
ra, ac fulgida, vestientur gloria
indicibili. Tunc cæli quoque &
elementa, id est, hæc sensibilis
mundi machina, insolito decore
renovata imutataque effulgebit;
ut, sublata omni corruptione,
semper maneat, & perpetuum per-
sucundumque spectaculum San-
ctis exhibeat.

Quisquis hæc legis, disce ex-
petere beatissimum illum statum:
disce supernam patriam amare, &
ad eam frequenter suspirare.
Ipsam oculis istis carneis modò
videre non potes: sed crede, invi-
sibilia ac cælesta, visibilibus terre-
nisque incomparabiliter potiora,
digniora, pulchriora, gratiora
suavioraque esse. Visibilia enim
& sensibilia quæ hic sunt, imagi-
nes fancillorum invisibilium quæ
sunt in cælo, in Deo. In illis in-
visibilibus veritas, in istis visibili-
bus umbra est. Sed quia nobis,
qui de terra sumus, terrena sensi-
biliaque prius cognita fuerunt,

idcirco ipsa visibilia, res; invisibi-
lia verò, rerum similitudines
æstimamus: reverà tamen illa in-
visibilia, res; ista autem visibilia,
rerum similitudines sunt, quæ il-
lis permanentibus transeunt. Ea
quoque invisibilia quæ creavit
Deus, Angeli, & animæ rationa-
les, si cum Deo comparentur, um-
bra sunt.

Non putes aliquid eorum quæ
hic vides, & quæ te delectant, deef-
se in supramundana Ierusalem:
sed crede, in invisibili & intelli-
gibili illo mundo esse omnia quæ
in visibili & sensibili hoc mundo
cordibus humanis placent. (In-
telligibile dicimus id quod solo
intellectu percipi potest: in qua
significatione etiam intellectualem
plerumque apud sacros Scriptores
ponitur; licet aliqui magis velint
intellectuale esse id quod intelli-
git seu intelligendi virtute prædi-
tum est, sicut & frequenter usur-
patur.) Deus, qui origo, fons,
exemplar, archetypum, idea, &
ratio omnium est, omnia etiam
est. Igitur quidquid in hoc mun-
do delectat, quidquid in hoc
mundo est, in cælo est: & quod
ibi est, longè sublimius, longè
præstantius est, quàm quod hic
est. Omnis voluptas quæ hic
corpore live sensibus corporis
hauritur, non nisi remotissima,
obscurissima, obtusissimaque
imago est illius sincerissimæ vo-
luptatis, quam spiritus rationalis
spiritui increato unicus persentit.
In cælo verissima perfectissima-
que

quæ rerum exemplaria sunt: multa unum sunt, & unum multa. Ibi omnia incorrupta & stabilia in æternum perseverant. Hic symbola quædam & signa verorum habemus tantum, quæ cum tempore labuntur & prætereunt.

chritudo beatorum Angelorum, pulchritudo sanctarum animarum, pulchritudo corporum humanorum, pulchritudo animalium brutorum, pulchritudo cælorum, siderum, solis, lunæ, ignis, aëris, maris, terræ, plantarum, florum, gemmarum, metallorum, & colorum omnium, suavitasque sonorum, odorum, ac saporum delectantium, abs te est. Quidquid decoris, gratiæ, amœnitatis, elegantiæ, dulcedinis, virtutis, dignitatis, & opulentiæ est in creaturis, hoc totum in te abundantissimè, excellentissimè immarcescibiliterque consistit. Verè tu es summè pulcher, summè deliciosus, summè amabilis, & summè desiderabilis. Tu exuberantissimè in te contineres omnem venustatem atque jucunditatem semper vernantem ac florentem, quæ tantò præstantior est illâ quam in rebus creatis cernere aut experiri possunt homines, quantò tu creator præstantior es quacumque creaturâ tuâ. Tu omnium quæ delectabilia esse queunt superfluens es plenitudo: tu puræ lætitiæ sanctæque voluptatis pelagus immensum. Tu lux indicibiliter serena, lux fulgida, lux decora, lux æterna & incircumscrip̃ta.

Enchiridij
Parvulorū.
Lib. 2.

8. Vnde pij omnes ultramundana illa, licet nondum visa, in hac peregrinatione diligunt; ista quæ vident & præsentia habent, contemnunt. Crede ergò quod non vides, ut meritò integræ fidei aliquando assequaris quod credideris. Id ubi, deposita carnis tenebrosa mole, obtigerit, tunc anima tua videbit bona cælestis Ierusalem longè meliori atque feliciori visu, quam sit visus iste corporis: videbis enim sicut vident sancti Angeli.

8.
Speris
ergò infir-
mu & vi-
sibilibus,
ad illa
sublimio-
ra & in-
visibilia
festina-
re.

CAPUT VII.

Quam amabilis Deus.

1. Omnium pulchritudo, omnium amabilitas in Deo plenissime inveniuntur.
2. Etiam in hac vita, ab his qui se Deo totos consecrant;
3. Quam ergò magis in futura?
4. Desiderabilis valde dicit æternitatis.

1. **D**EVUS meus! ô dulcis vita animæ meæ! ô vera salus mea! ô unicum & æternum bonum meum, bonum summum atque incommutabile! quid volo, quid quæor, præter te? Nonne habeo omnia, si te habeo qui creasti omnia? Nihil usquam charum est, quod tu non feceris. Ecce pul-

1.
In Deo
omni ra-
tio ama-
bilitatis
inveni-
tur.

O! qui tibi etiam in præsentibus exilio per eximiam cordis munditiam intimius uniuntur, quid vident? quid audiunt? quid olfaciunt? quid gustant? quid sentiunt? hoc nulla lingua, exprime-
re po-

2.
Imò & in
hoc exilio
apud ani-
mas piæ
in uno
Deo re-
peritur.

*Enehiri-
dij Par-
vulorū.
Lib. 2.*

*quidquid
parum
per crea-
tas pul-
chrum &
amabile.*

*3.
Sed longe
gloriosius
in patria
a. Cor.
13.*

*2. Ioan.
6.*

*4.
Sola dies
aeternita-
tis, desi-*

re potest. Amorosi amplexus, & delicata oscula, quibus vel mater tenello nato suo, vel sponsus dilectæ sponsæ suæ blanditur, non sunt nisi permodica quædam & tenuis umbra illorum amplexuū atque osculorum, quibus animam te castè amantem afficis.

Quòd si tam beati sunt, & tam inexplicabilia percipiunt pauperes exules, qui te non nisi per speculum in ænigmate hîc vident; quàm beatos esse, & quàm ineffabilia percipere credere debemus gloriosos atque inclytos cives regni tui, qui te vident sicuti es, qui mellis suam faciem tuam clarissimè contemplantur, qui abyssò perennium deliciarum feliciter immergi, tibi perfectissimè ununtur? Ipsi charissimi filij tui jam manifestè cognoscunt, atque in se penitèrs sentiunt, quantum tu Pater suavissimus eos diligas, & ab æterno dilexeris. Tu illis omnibus placidissimè præsides, omnes lumine claritatis tuæ jucundissimè illustras, in omnium cordibus familiarissimum gratissimumq; colloquium jugiter habes, omnium affectus incomprehensibili charitatis dulcore pariter & ardore in te trahis, omnes deliciosissima tui fructione tranquillās, lætificas, reficis, & satias; denique tu in illa superna Ierusalem Deus sempiternus omnia es in omnibus.

O præclarum diem illum diem unum, diem æternum, solum verum diem! de quo tu Domine

Jesu sic locutus es electis tuis: *In illa die vos cognoscetis, quia ego sum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis.* O diem votis ardentibus expetendum, in quo animæ sanctæ tibi unitæ, & inenarrabili luce sapientiæ perfusæ, transformantur in claritatem sempiternæ gloriæ! Concede, obsecro mihi lesu, ut quamdiu in hujus peregrinationis tenebris verfor, oculos mentis ad illius diei fulgentissimum rutilantissimumque lumen apertos habeam, tibi que Deo meo placeam.

CAPUT VIII.

Sanctæ Gertrudis doctrina experientialis de beatitudine.

1. *Quomodo describat beatitudinem.*
2. *Loquebatur ex abundantia suavitatis celestis, quam prægustaverat in terra.*
3. *Inenarrabilis & incogitabilis altitudo & sua Divinitas.*

Gertrudis sive Trutha Ordinis monastici virgo, & eadem literata, Deoque familiarissima, scripturæ ista commendavit. * *O regio, inquit, illa beata & beatificans affluentis beatitudinum! ager deliciarum, cuius minutissimum granum sufficientissimè satisfacere potest aviditati omnium electorum in diversis, qua humano cordi desiderabilia, amabilia, delectabilia & suavia possunt excogitari! O æternum solstitium, speciosa merides, mansio securæ, locus totum continens quod delectat! paradisus perennium deliciarum, præterfluens rivus inastimabi-*

inabilium voluptatum, alliciens florigeram vernantiam omnigenarum amantatum, demulcens suavi sono, imò suaviter afficienti melodia intellectualium musicorum, inebrians solventi dulcedine internorum saporum, immutans mira blanditate secretorum amplexuum! Sed quid inde balbutire conatur mea impeditior lingua? cum, etsi omnis Angelica & humana potentia in unam conferretur scientiam, nequaquam ad plenum formare sufficeret vel unicum verbum, quo tanta excellentia eminentia in minimo dignè attingeretur aut exprimeretur.

2. *Quod ipsa praeusua verat, e-rubabat de cali gaudij.*
Ceterum ne quis arbitretur, hanc sponsam Christi Gertrudem talia quasi de rebus sibi nullà prorsus experientiam cognitis loqui, subjungemus quid ipsa alibi, gratias Deo agens, de se narret. Cum, inquit, cantaretur Responsorium VIDI DOMINUM FACIEM AD FACIEM, mirabili quadam & inestimabili coruscatione illustrata est anima mea luce divina revelationis.

* Vide admirandam & priorius inauditam in excelsa sanctæ Gertrudis, quâ nemo capere potest, nisi qui experitur, imò & qui experitur, explicare non potest.
* Apparuit tanquam faciei mee applicata facies quadam non formata, sed formans; non perstringens oculos corporis, sed faciem laudificans cordis; grata amoris munere, non colore. Ex hac mellisua visione cum solares oculi tui, Domine Deus meus, oculis meis directè oppositi viderentur, qualiter tu suaviter dulcedo mea tunc affeceris non solum animam meam, verum etiam cor meum cum omnibus viribus, tibi soli est notum: da proinde, ut quoad videro, tibi persolvam famulatum de-

vorum. Ex ipsis Desicis oculis tuis. sensi per oculos meos intrantem lucem quandam inestimabiliter suavificam, qua transiens omnia interiora mea, supra modum mirabilem virtutem in omnibus membris meis videbatur operari: primò quidem evacuans omnes medullas ossium meorum, hinc etiam ipsa ossa simul cum carne annihilans, in tantum, ut tota mea substantia nihil aliud sentiretur esse, quam splendor ille divinus, qui ultra quàm dici possit delectabili modo in seipso colludens, in estimabilem animam meam exhibebat serenitatem. O! quid amplius dicam de ista dulcissima visione? quia, ut verum fatear, omnium linguarum eloquentia per omnes dies vite mea mihi hunc præclarum modum et etiam in caelesti gloria videndi, nunquam (prout mihi videtur) persuasisset, si dignatio tua, Deus meus, unica salus anime mea, per experientiam me ad illum non admisisset.

Eadem felicissima Virgo Gertrudis, aliquando per spiritum intellexit, tantam & usque adeò incomprehensibilem esse lucem Divinitatis, ut si quilibet Sanctorum ab Adam usque ad novissimum hominem singularem perciperet cognitionem tam altam ac perspicuam, quàm altam perspicuamque aliquis unquam percipere potuit; & alter cum altero sua cognitione non participaret; etiam si millies numerosior esset multitudo Sanctorum, adhuc tamen in infinitum ipsa lux Divinitatis superaret omnem intelle-

Ppp. tum.

Enchiridij Parvulorum. Liber 2.

3. Lux ineffabilis Divinitatis & incomprehensibilis.

Enchiridij Parvulorū Lib. 2.

ctum. Lux creata, tam spiritua-
lis quàm sensibilis, participatio-
ne solùm lux est, illius veræ lu-
cis typus & umbra duntaxat est.

Plura possemus adferre ex San-
ctorum monumentis, quæ pias
mentes ad amorem patriæ cæle-
stis vehementer accenderent: sed
hoc aliàs (si Deus voluerit) facie-
mus. Nobisenim in animo est,
colligere * Psychagogiam ex
scripturis beati Augustini Episco-
pi, & beati Gregorij Papæ, in qua
copiosius de felici statu ipsius su-
pernæ Ierusalem tractabitur.

* Iam
est data
Psych-
agogia,
quæ hic
promit-
titur.

CAPUT IX.

Quomodo pius exercitator possit Deum contemplari.

1. Contemplatio Dei summatim, quoad natu-
ram, personas, & attributa in communi.
2. Speciatim, attributum Potentia & bonitatis
in creatione universi;
3. Præsentia in omnibus rebus & locis;
4. Sapientia, per quam omnia scit, & provi-
det, & gubernat.
5. Infinitas, in essentia prorsus incomprehen-
sibili.
6. Quomodo in se ex natura invisibilis, per gra-
tiam se exhibeat visibilem creaturæ.
7. Immunitas ab omni compositione & concre-
tione in Deo est.
8. Esse fontale, & solum verum.
9. Cur de Deo corporalia dicantur.
10. Immensus est, & nullo loco clauditur.

I.
Quomodo
reveren-
ter & cir-
cumspet-
tè medi-
tandum
est de Deo.
* Dei
natura,
essentia
& sub-
stantia;

HIC aliqua expressius dice-
mus de Divinitate, ut par-
vulis gratificemur. Quando Deus
sincere ac religiosè cogitatur, viva
quædam & spiritualis substantia
* cogitatur, omnem creaturam
transcendens, prorsus intermina,
omnipotens, summè perfecta,
summè simplex, summè pura,

summè elegans, summè jucunda,
summè amabilis, summè gratiosa,
summè suaviss, summè deliciosa:
substantia per se substantia, non
aliunde esse habens, neque aliunde
dependens: fons existentia
his quæ sunt, fons vitæ his quæ
vivunt, fons sensus his quæ sen-
tiunt, fons rationis his quæ ratio-
nalia sunt, fons sanctitatis his
quæ sancta sunt, fons luminis his
quæ lucida sunt, fons perfectionis
his quæ perfecta sunt, fons deni-
que & causa omnibus bonorum
omnium: fons omnis dignitatis
& potentia, omnis virtutis & sa-
pientia, omnis venustatis & gra-
tia, omnis dulcedinis & lætitiæ,
æterna plenitudo totius beatitu-
dinis. Pij ita apud se philoso-
phantur de Deo. * Et quidem
Deus Pater, Deus Filius, Deus
Spiritus sanctus, non sunt tres dii,
sed unus Deus: unus in substan-
tia, trinus in personis. Gloriosa
Trinitas, Pater, & Filius, & Spi-
ritus sanctus, * unus est vivus ac
verus Deus increatus, invisibilis,
infiguralis, immaterialis, incom-
positus, impartibilis, indefensus,
incircumscriptus, id est, neque lo-
co, neque sæculo seu tempore ter-
minatus, neque intellectu com-
prehensus, utpote omnia replens,
omnia velut ambiendo termi-
nans, omnia sine ambitu conclu-
dens, super omnia existens. Ipse
ergò illocalis est, sui ipsius locus
est: intemporalis est, sine initio,
sine fine sempiternus est. Ipse est
incommutabilis, nulli alteratio-
ni,

ni, nulli perturbationi, nulli passioni obnoxius: semper tranquillus, semper idipsum permanens. Sic dispensat tempora & quæque mutabilia, ut tamen ad ejus æternitatem non accedant tempora, & ipse nunquam mutetur.

2.
Commen-
tationes
pæ do-
ctæ de
Dei Pa-
tentia &
Bonitate.
* Liberè
Deus ex
sola boni-
tate
creavit
univer-
sa, per
varios
essentiæ
gradus.

Factor est omnium sæculorum sive temporum, Creator coeli & terræ, visibile omnium & invisibile. * Non ex necessitate aliqua, sed propter solam Bonitatem suam creavit omnia, dans rebus inanimis ut subsistant; plantis, ut subsistant & vitæ vegetativæ vivant; brutis animantibus, ut subsistant, vivant, ac sentiant; creaturis rationalibus, nempe Angelis & hominibus, ut subsistant, vivant, sentiant, atque intelligant. Sola Bonitas ejus causa est naturalium proprietatum, & bonorum omnium quæ in creaturis sunt. Nam cum boni proprium sit in alia se diffundere, & ipse Deus sit summè bonus ac substantiale bonum, derivat suam Bonitatem in omnia, indulgens ejusdem Bonitatis suæ radios cuique creaturæ juxta ejus captum atque aptitudinem: quemadmodum sol iste visibilis illuminat & permeat omnia inferiora, ut quodque eorum luminis virtutisque solaris consortium ac participationem in se admiserit. Igitur Deus propter Bonitatem suam, omnia quæ existunt deduxit ad esse ex nihilo: & adhuc multò plura, imò verò innumeros mundos, si veller, creare posset, cum sit essentiæ pelagus infinitum.

† Ipse mundum istum pulchrum condidit, ad exemplar illius pulcherrimi mundi, quem in sapientia sua habebat. Quem admodum enim peritus architectus domum exemplarem materia carentem mente continet, ad cuius similitudinem efformat domum materialem, tanquam exemplum & expressionem illius archetypi quod mente gerit: ita rerum omnium opifex Deus in sua æterna scientia exemplares divinasque ideas ac rationes habuit eorum quæ fecit: & quidquid ab eo creatum est, sive visibile sive invisibile sit, quia semper ab eo cognitum fuit, ab æterno in ejus mente atque intelligentia vixit. Hinc ait beatus Ioannes Evangelista: *Quod factum est, in ipso vita erat.* Quælibet ergò creatura prius in Deo existit, quàm in seipsa.

Enchiridij Parvulorum. Lib. 2.

Pulchritudo creaturarum elucet in Deo velut in exemplari imagine, & fabrica in archetypo.

Ioan. 1.

Non ita existunt in Deo res creatæ, sicut in propria natura: nam secundum hanc sunt corruptibiles, mutabiles, & egenæ; in Deo autem nihil corruptibile, nihil mutabile, nihil egenum est. Cum omnis creatura facta sit ex nihilo, ex se nihil est, & in nihi-

De modo quo omnia in Deo præexistunt, quæ tamè ex nihilo facta & creata sunt.

+ Quomodo in Archetypo idearum divinarum omnis pulchritudo creaturarum exemplaria sit, disputant passim Scholastici ex Philosophis & sanctis Patribus apud D. Thomam 1. parte quæst. 15. totâ, quæ est de ideis in Deo. Citatur S. Dionysius de Divinis nominibus cap. 5. S. Augustinus locis valde multis, explicans de ideis divinis illud Ioannis 1. *Quod factum est, in ipso vita erat.* Boëtius de Consolatione Philosophiæ lib. 3. Metro 9. alloquens Deum:

Terrarum calig. sator, tu cuncta superna
Duci: ab exemplo: pulchrum pulcherrimu ipse
Mundū mente gerens, simulq; in imagine formans.

Ppp 2 lum

*Anchiri-
dij Par-
vulorū.
Lib. 2.*

lum mox redigeretur, nisi virtute & gratia Conditoris servaretur. Omne enim quod esse cœpit, etiā suapte naturā desinere potest. Se- paretur à rebus conditis quidquid corruptionem, imperfectionem atque indigentiam sonat; & jam elucescet quomodo sint in Deo. In cognitione Dei, sive in Deo, res omnes sempiternæ vivunt, & vita sunt. In essentia, inquam, Dei omnium rerum exemplaria sunt, & ipsa eadē divina essentia omnium rerum unū exemplar est. O quàm jucundum erit videre in illa gloriosa civitate, quomodo in Deo & multa unum sint, & unum multa!

3. Omnia ipsi Deo præsentia sunt, ipseq; omnibus præsens est: longè tamen ab eorum sensu, qui impij sunt, abest. Sanctis peculiariter & eximiè adest: quia in eis tanquam in templo suo per salutarem gratiam habitat. Omnibus rebus inest præsentia, potentia, substantia: nullius tamen rei immunditia contaminatur. Nihil ei immundum est, præter peccatum, quo ipse etiam non inquinatur.

*Nec tamē
infitur,
aut mu-
natur.* Sensibiles rerum sordes non secundum rationem, sed secundum sensum duntaxat sordes dicuntur. Quomodo autem Deus, qui æterna stabilitate incommutabiliter in seipso semper manet, omnibus rebus à se conditis insit substantialiter, sive per essentiam, cum tamen ipsæ res creatæ non sint in Deo per propriam naturā,

(nam quidquid per naturam seu essentiam in Deo est, hoc est ipse Deus) sensus humanæ mentis in hac vita percipere nequit. Scimus & dicimus ita esse; quomodo verò id sit aut fiat, nescimus.

Si quæritur ubi erat Deus antequam mundum conderet, rectè respondetur, quia in seipso erat, apud seipsum erat: & mundo condito apud seipsum est. Ipse ergò Deus ubique est; ubique sine situ, ubique sine sui divisione totus est: non in parvis parvus, sed in parvis & magnis sine quantitate vel mole magnus.

Scit omninò omnia: videt incorporeo oculo, & inscrutabili cognitione clarissimè cognoscit cuncta præterita, præsentia, & futura. Quando aliquis peccatum committit, Deus quidem illum peccaturum ab æterno præscivit: non tamen ille idèd peccat quòd Deus peccati ejus præsciens fuerit; sed potius eum peccaturum Deus idèd prævidit, quia omninò ille prava sua voluntate peccatum erat commissurus † Præscientia Dei non tollit libertatem

† Rev. P. Leonardus Lessius in docto & pio Opusculo de attributis divinis, & R. P. Gabriel Vasquez Commentarijs in 1. partem D. Thomæ, confirmat & illustrat ex Scriptura, sanctis Patribus, Concilijs orthodoxis, quæcunque hic pro solido fundamento devotæ pietatis de Deo Deique attributis adferuntur à R. D. Blosio Theologica dogmata. Esto exemplum in hoc dogmate pro consolatione anxiorum ob Dei prævisiones, quæ videntur necessitatem liberæ voluntati imponere. Citat Vasquez disput. 68. cap. 6. S. Iustinum quæst. Gentilium 58. *Nec causa est, ejus quod futurum est, prænotio; sed quod futurum est, causa est prænotionis, & S. Augustinū lib. 4. de Ge-*

de Genesi ad litteram cap. 32. Neque enim cogitatio fieri potest, nisi cognoscenda præcedant; & Severinum Boetium lib. 5. de Consolatione Philosophiæ prosâ 4. ubi inter multa sic ait: Præcognita liberis habent exitum. Nam sicut scientia præsentium, nihil his quæ fiunt; ita præscientia futurorum nihil his quæ ventura sunt, necessitatis importat. Si verò pius Leæon seu de hoc seu de alijs Dei attributis plura, pro suo gustu aut fructu volet, quàm hic solide & floridè prolata à Rev. D. Blosio, tum ex nominatis duobus Doctoribus, tum ex alijs petere poterit.

non im-
ponit ne-
cessitatem
rebus.

arbitrij nostri. Ipse accusandus non est dum iniquè aliquid agimus, licèt prævideat quid acturi simus: quemadmodum is qui in specula constitutus videt aliquem properare ad locum ingentium periculorum, spontèque suam ipsius necem accersere, cognoscit sanè quò ille properet, non tamen ob id in causa est quòd eò properet.

Deus bonæ voluntatis est præcognitor, non auctor: bonæ verò voluntatis & præcognitor & auctor est. Ipse mala fieri permittit, non cogit: & quidquid permittit, rectè justèque permittit, etiã nisi nos permissionis ejus ratio lateat. Ergò, sicut dicebamus, ipse omnia scit.

Penetrat abditissima quæque, & occultissimas cordium cogitationes intentionesq; dinumerat. Non solum honesta, verùm etiam inhonesta omnia purissimè pacatissimeque considerat. Quemadmodum enim sol, radijs suis cloacas illustrans, non earum sordibus inficitur: ita Deus citra aliquam sui injuriam intuetur & agnoscit quidquid sit, quidquid dicitur, quidquid cogitatur.

Omnia
intuetur.

Ipse sine labore regit omnia quæ condidit. Sua admirabili providentia ordinat curatque minima & maxima, vilissima ac nobilissima: attingens à fine usque ad finem fortiter, & disponens omnia suaviter. Cujus sapientissimæ providentiæ suæ vestigia etiam ipsi rebus creatis in didit, ut illam in eis tenui quodam simulachro sese manifestantem agnoscere-mus. Videmus enim homines, jumenta, aves, & cetera animalia, naturali instinctu gerere curam foetuum à se editorum: illis parare lectulos, cubilia, nidos: eos alere, fovere, protegere. Quantâ diligentiam invigilat mater, ne infantulus suus, qui per se nondum satis tutè graditur, corruat, & se lædat! Quin & plantas atque arbuta conspici-mus folliculis, testisque duriusculis concludere ac veluti circum-munire suos fructus. Si tantâ providentiâ relucet in creaturis, quæ symbola veritatis sunt; quantam credere debemus esse in ipsa veritate, nempè in Craatore? Quis hæc attendens non laudabit Deum, non ei ex intimis animæ suæ medullis gratias aget, non se totum dispositioni ejus liberè committet ac tradet?

Ipse Deus suâ potentiâ, suâ sapientiâ, sua bonitate, exuperat omnium hominum atque Angelorum intellectum. Incircumscripti enim & infiniti Dei, incircumscripta atque infinita est potentia, sapientia, & bonitas: ob

Enchiridij
Parvulorū.
Lib. 2.

Omnia
prudent-
ter guber-
nat per
singularem
providen-
tiam.
Sap. 8.

5.
Infinitu-
do & in-
compre-
hensibili-
tas Dei.

Enchiri-
dij Par-
vulorū.
Lib. 2.

Solu
Deu sese
ipsum
compre-
hendit.

idque neque homo, neque Ange-
lus (qui circumscripti finitque
sunt) eam comprehendere pos-
sunt.

Solus Deus integrè ipsam suam
potentiam, sapientiam & boni-
tatem, sive seipsum comprehen-
dit atque cognoscit: ipse sui ipsius
deliciosissima, substantialis, per-
petuaque fruitio, & sibi ipsi inter-
mina atque incommutabilis bea-
tudo.

6.

Invisibi-
liu D u
ex se, vi-
sibiliu ex
gratia
per lumē
gloria in
caelo, ubi
Sancti vi-
dent Deū
sicuti est,
sed finito
modo.

Sancti Angeli, sanctæque ani-
mæ in cælum receptæ, vident qui-
dem Deum sicuti est, & cognos-
cunt eum pro suo captu gra-
duque; non tamen prorsus ipsum
Dei secretum intuentur, non plenè
Deum comprehendunt. In-
finitum Deum non infinitè, sed
finitè cognoscunt. Non omnia,
quæ in Deo sunt, & in Deo vi-
deri sciri que possunt, (ab ipso e-
nim Deo videntur & cognoscun-
tur,) vident aut sciunt: id namq;
creatæ finitæque intelligentiæ
captum excedit. Secundum hunc
sensem accipiendū est illud quod
dicere solemus, Deum vidisse, est
omnia didicisse. Omnia sanè:
non tamen sic omnia, ut is qui
substantiam Dei videt, dici pro-
pterea debeat, omnia, quæ in illa
relucent, & quæ cognoscit Deus,
cognoscere: hoc enim esset, scien-
tiam creaturæ æqualem scientiæ
Creatoris esse. Qui videt Deum,
licet intueatur & agnoscat omnia
quæ creavit Deus, non tamen in-
tuetur neq; cognoscit omnia quæ
creare potest Deus. Verba beati

Pauli Apostoli, quibus in calcæ
prioris Epistolæ ad Timotheum r. Tim
asserit, nullum hominum Deum
vidisse nec videre posse, sic aptè
intelligimus, quati diceret, nul-
lum hominum Deum compre-
hendisse nec comprehendere pos-
se: quamquàm ita etiam accipia-
verba possunt, ut sensus sit, nul-
lum hominum vitâ sensitivâ in
hoc exilio viventium Deum vi-
disse, nec videre posse. Si con-
cedendum est, aliquos in hac pe-
grinatione substantiam Dei vi-
disse; etiam concedendum erit,
eos interim, dum Dei essentiam
contuebantur, † vitâ sensitivâ
non vixisse.

Porro in Deo nihil accidenta-
rium est. Bonitas, justitia, sa-
pientia, non accidentaria, sed
substantialis ei adest. In nobis
illa accedunt & abscedunt, at non
in Deo, qui inalterabilis immu-
tabilisque est. Ipse summè sim-
plex est, ob idque in eo non est a-
liud esse, atque aliud bonum, ju-
stum, sapientem esse: non est a-
liud in illo bonitas, justitia, sa-
pientia, & aliud essentia. Non
aliud est ipse, atque aliud quod in
ipso est: non inquam est aliud
Deus, & alius quod Dei est.

Et

† Beatam Virginem Mariam, Apostolum
Paulum, Moysen ferè pro exemplo adferunt,
quando agitur de visione Dei in hac vitâ.
Alij adveniunt Adamum, S. Augustinum, S.
Benedictum Patriarcham nostrum; de qui-
bus vide R. P. Gabrielem Vasquez in 1. part.
q. 12. art. 15. Vtrum aliquis in hac vita pos-
sit videre Deum per essentiam; ubi toradi-
spuit. 55. & 56. de hac necessaria à sensibus
abstractione ad Dei visionem in hac vita, &
de modo illius differit.

8. Et tamen quid omnino sit illa simplicissima, immutabilis, & aeternae Dei substantia, quae omni substantia superior est, quid omnino sit divinum illud ens quod omnia entia excellit, nos neque dicere neque comprehendere possumus.

Convenientius itaque quid non sit, quam quid sit ipse supersubstantialis & superintellektualis spiritus Deus, enuntiamus: semper agnoscetes, Deo inferius esse quidquid de eo dicere vel comprehendere potuerimus. Sed quem investigando non ut est invenimus, amando complectimur: ipse enim charitas est.

Essentia divina essentias rerum creaturarum tanto intervallo exsuperat, ut hae cum Deo collatae, non entia potius quam entia, dici debeant. Entia quidem, quia à summo Ente profecta sunt: non entia verò, quia ex se nihil sunt, ex se mutabilia sunt, & ab immensitate atque perfectione incommutabilis Dei in infinitum distant & deficiunt. Deus solus verè ac propriè est, qui non ab aliquo est, qui nec exordium nec finem habet, neque unquam mutatur. Propterea dicebat famulo suo Moyli: *Ego sum qui sum. Dices filiys Israel, Quis est, misit me ad vos.*

9. Quòd sacra Scriptura multa de ipso incommutabili & incorporeo Deo mutabiliter corporaliterque enuntiat, hoc utique facit, ut nobis, qui infirmi sumus, sese ac-

commodet. Deus in illa veluti balbutire dignatur, ut à parvulis balbutientibus intelligatur. Neque enim ad intellectualia & divina aliter commodè subvehi possemus, quam per verba nobis familiaria domesticaque. Attribuuntur itaque Deo oculi, aures, os, manus, pedes, somnus, oblitio, ira, furor, & consimilia; ut spirituales ejus operationes virtutesque significantur. Eadem ratione talia etiam Angelo & animae humanae plerumque accomodantur.

Eadem quoque ratione, illocali Deo locus adscribitur. Nam locus sive sedes Dei metaphoricè dicitur, ubi aliqua singularis & perspicua ejus operatio fit: † veluti est caelum, mens justis, & templum divino cultui dedicatum. In templo enim Divinitati consecrato divinae laudes decantantur, divina Officia peraguntur, & divina celebrantur mysteria, admirabili stupendaque Dei operatione ac virtute commendatissima: ibi thesaurus ille thesaurorum omnium dignissimus sacra Eucharistia asservatur. Quae quidem Eucharistia non figura veri corporis Christi, sed ipsum verum Corpus Christi est. Rectè tamen religiosa ejus perceptio dicitur figura futurorum: quia in futura

vita
† Si Deus ob singulares operationes in antiquo Testamento dicebatur peculiariter esse in Arca aut templo Salomonis, quanto magis in caelo, in anima iustorum; & in Ecclesijs Catholicorum, ob praesentiam sacramentalem & veram in Eucharistia.

Enchiridij Patrum Lib. 2.

velut ἀνθρώπων νοητά.

10. Sicut & localia, sicut sit immensus.

Esse Dei fontale, inenarrabile.

Facilius quid non sit Deus, quam quid sit dicimus, quam Theologi vocant. Nam per negationes.

Soluti vobis est, cetera ad verum comparata, non sicut & nihil sunt.

Exod. 3.

Corporalia per metaphoram de Deo enuntiantur.

Enchiri-
dij Par-
vuloꝝ.
Lib. 2.

vita non sub accidentiarum
specierum velamento participes
erimus Divinitatis, sicut modò ;
sed facie ad faciem Deum con-
templantes, Divinitate perfectè
fatiabimur. Tempore vitæ præ-
sentis in sumptione ipsius adorandæ
Eucharistiæ, pignus futuræ
gloriæ nobis datur.

CAPUT X.

*Trinitatis mysterium piè & Catho-
licè explicatur ad captum sim-
plicis contemplatoris.*

1. Quomodo concipi debet distinctio personarum
in una simplici natura Divinitatis.
2. Communia quædam omnibus personis divinis,
non obstante earum distinctio.
3. Propria & peculiaria personarum singularum,
prout inter se distinguuntur.
4. Lucunda societas & communicatio insepara-
bilis earum ad invicem.
5. Debent hæc etiam à simplicioribus fidelibus piè
ruminari: etsi non exigat ab eis Deus exactam eo-
rum intelligentiam, sed Catholicam reverentiam &
fidem.

*Theologi-
ca expli-
catio de
Deo uni-
trino, con-
formis do-
ctrina
Scholasti-
ca & Sym-
bolo A-
thanasia-
no. Di-
stinctio
persona-
rum cum
unitate
naturæ.*

QUOD suprâ paucissimis ver-
bis perstrinximus de beata
Trinitate, id repetitum diffusius
explicare libet. Pater, & Filius,
& Spiritus sanctus, non sunt tres
dij, sed unus Deus; unus in sub-
stantia, trinus in personis. Alius
Pater, alius Filius, alius Spiritus
sanctus. Tres sunt, & unum sunt.
Tres sunt Personæ, dictæ à Græ-
cis *hypostases*, id est substantiæ:
at trium personarum una est es-
sentia, una Divinitas. Latini
interpretes sæpè vertunt hyposta-
sim in substantiam: Theologi ta-
men Latini usurpant substantiam

pro essentia dicta à Græcis * *Vsa.* * *obole*
In ipsa Deitate & Trinitas unita-
tis, & unitas Trinitatis adoranda
est: oportet & Trinitatem Per-
sonarum in unitate substantiæ, &
unitatem substantiæ in persona-
rum Trinitate confiteri.

Ipsæ personæ suis proprietati-
bus hypostaticis ab invicem di-
stinguuntur. Patris proprietas
hypostatica est, quòd Filium ge-
nuerit, & in eo solùm à Filio dif-
fert. Filij proprietas hyposta-
tica est, quòd à Patre genitus
sit, & in eo tantùm differt à
Patre. Spiritus sancti proprie-
tas hypostatica est, quòd à Patre
Filioque procedat, & in eo differt
à Patre ac Filio. Pater gignit Fi-
lium, & spirat Spiritum sanctum:
Filius gignitur à Patre, & unà cū
Patre spirat Spiritum sanctum.
Spiritus sanctus spiratur à Patre
& Filio.

Ex his personalibus proprieta-
tibus apertè liquet, alium esse Pa-
trem, alium Filium, alium Spiritum
sanctum: quia Pater qui ge-
nuit Filium, non potest esse ipse
Filius quem genuit: & Filius qui
genitus est à Patre, non potest esse
ipse Pater, à quo genitus est: &
Spiritus sanctus qui à Patre Filio-
que procedit, neque Pater neque
Filius, à quibus procedit, potest
esse.

Proprietates hypostaticæ in
Trinitate, sive nomina persona-
lia, Pater, Filius, genitor, geni-
tus, Verbum, imago, proce-
dens, &c. non substantiam, sed
substi-

subsistendi modum, & habitudinem quandam atque relationem ad invicem indicant. Sic unicuique hypostati convenit sua proprietas personalis, ut tamen quidquid est una hypostasis sive persona secundum substantiam, hoc sit & quævis alia.

2. *Enumeratio personarum. Vnaqueque personarum, & Trinitas est Pater, si Pater non relative sumatur. 1. Ioan. 3. Ephes. 5. Galat. 3. Act. 17.*

Quando istud nomen Pater dicitur non relative ad Deum Filium, sed ad creaturam, convenit etiam Filio, convenit & Spiritui sancto, totique simul Trinitati. Nam & Pater & Filius & Spiritus sanctus, sive tota Trinitas, Pater noster est: nosque, sibi boni sumus, filij Dei sumus, non quidem per naturam sicut Deus Dei Filius, sed per gratiam & adoptionem. Imitatione bonitatis & dilectionis divinæ sumus filij Dei ac genus Dei. Etiam hi qui iniqui & impij sunt, genus Dei dici possunt, quia ad imaginem Dei sunt conditi. Omnes homines Deum habent Patrem per creationem: sed illi soli perveniunt ad cælestem hereditatem, qui Patrem cælestem imitantur, & voluntatem eius faciunt, iusticiam atque sanctitatem sectantes.

Deus est in vultu Patris, qui nos in carne generavit.

Profecto ipse Deus, qui ex nihilo nos ad esse perduxit, veriùs principalis que Pater noster est, quam illi qui nos genuerunt: neque enim generare nos poterant, nisi virtutem generandi à Deo accepissent. Præterea solus Deus est auctor productorque animæ, quæ dignior est quam corpus. Corpore extincto deperit ratio

carnalis paternitatis: sed illius denominatio paternitatis, quæ Deus dicitur Pater animæ (cùm anima immortalis sit) nunquam decedit.

Enchiridii Parvulo. Lib. 2.

Similiter quando hoc nomen, Spiritus dicitur non relative ad Deum Patrem & Deum Filium, convenit etiam Patri & Filio, ac toti simul Trinitati. Quidquid enim de qualibet persona dicitur non relative ad aliam personam, dici potest & de omnibus communiter, & de singulis sigillarim personis. Nam essentielles divinitatis proprietates omnibus & singulis personis divinis conveniunt.

Prima & secunda Persona spiritus essentialiter est tertia notionaliter seu relative duntaxat, ob spirationem personalem.

Rectè & verè dicimus, Pater est Deus, Dominus, omnipotens &c. Filius est Deus Dominus, omnipotens; Spiritus sanctus est Deus, Dominus, omnipotens: Pater & Filius & Spiritus sanctus, sive Trinitas, est Deus, Dominus, omnipotens. Attamen Patrem & Filium & Spiritum sanctum, id est Trinitatem, non dicimus esse tres Deos, tres Dominos, tres omnipotentes; sed unum Deum, unum Dominum, unum omnipotentem. Tanta videlicet vis est unitatis substantiæ in ipsa Trinitate. Nomina essentiæ aliquando ad significandas personas deflectuntur: ut cùm dicimus, Deus de Deo genitus est, in altero Filium, in altero Patrem intelligimus.

Unus Deus Dominus, non tres.

Scire autem convenit, ista nomina, Pater, Filius, Rex, Dominus, & similia, non esse ex nobis

Nomina perfectissimum prius &c.

Enchiridij Parvulorum. Lib. 2.

Principalius Deo conveniunt quam triaturus. Ephes. 3.

ad Divinitatē translata, sed contra inde ad nos per quandam similitudinem esse traducta. Hinc beatus Paulus Apostolus ait: *Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in celis & in terra nominatur.* Nam paternitas, quā Deus Pater ab æterno genuit Filium, omnis paternitatis exemplar primum est. Huiusmodi denominationes perfectionem dignitatemque delignantem, primum veritati, deinde veritatis imagini vestigioque conveniunt.

3. Proprium per sonarum. Pater ingenuus: Filius unigenitus: Verbum. Imago.

Deus Pater, ingenuus dicitur: ipse non est ab aliquo, sed à seipso est, à seipso habet quidquid habet, non ab alio.

Deus Filius, unigenitus dicitur, ipse non à seipso sed à Patre est, de cuius substantia natus est. Patri consubstantialis est, Verbum & imago Patris est. Ipse à Patre habet quidquid habet:

Genitus, non factus.

habet autem quidquid Pater secundum essentiam habet. Non est factus, sed genitus; neque enim creatur, sed cum Patre & Spiritu sancto omnium creaturarum conditor est. Tunc primum dictus fuit factus, quando naturam nostram assumpsit, quando sanctissima caro & anima ejus creata fuit. Non autem dicitur, vel certè non intelligitur simpliciter factus aut creatus, sed cum additamento, creatus secundum carnem, secundum hominem, factus

Galat. 3. Rom. 1. Ioan. 1.

homo, factus ex semine David, factus ex muliere: ita ut factura

seu creatura non ejus Divinitati sed humanitati attribueretur. Quòd in Evangelio beatus Ioannem Baptistam legimus juxta Vulgaram editionem dixisse de ipso Christo filio Dei, *Qui post me venit, ante me factus est;* idem est, ac si dixisset, *Ante me fuit, me præcedit, mihi prælatus est, maiestate me transcendit.*

Ipsam Filij Dei de Patre generationem ineffabilem, res inferiores ac sensibiles remota quadam imagine testantur & declarant, quæ sui simile producere gaudent. Hinc homo hominem, leo leonem, turtur turturam, carpio carpionem, oliva olivam, nardus nardum, ignis ignem, lux lucem, & quidquid speculo aut aquæ limpide objectum fuerit, suam effigiem gignit atque efformat. Nam generatio Filij Dei de Deo Patre, exemplar & veritas est cuiuslibet huiusmodi productionis naturalis: id quod supra quoque indicavimus, dicentes, illam paternitatem, quā Deus Pater ante sæcula genuit Filium, esse omnis paternitatis exemplar prototypum.

Deus Spiritus sanctus Paracletus dicitur: ipse etiam à seipso non est quia à Patre & Filio procedit, Patri & Filio consubstantialis est: Patris & Filij Spiritus ac donum est: Patris & Filij amor, nexus, complexusque, dulcissimus ac vinculum dilectionis perpetuum est: ipse inde est, & inde habet quidquid habet, unde procedit. Dicitur

fuit autem à Patre & Filio procedere, non gigni vel nasci, ne Patris & Filij Filius credatur, quod omnium sanorum sensus abhorret. Neque enim unius ejusdemque filij duo patres esse dicuntur. Pater & Mater habent unum & eundem filium: aliàs duo patres unum eundemque filium non habent.

Deus Filius etiam à Deo procedere, exire, sive emanare dicitur, quia à Patre est; sed aliter procedit, quàm procedat, exeat emanetve Spiritus sanctus: ipse enim Filius processit à Patre nascendo, exijt ut genitus; quod utique de Spiritu sancto dicere non possumus.

Processio per generationem convenit Filio, non Spiritui sancto: processio per Inspirationem convenit Spiritui sancto, non Filio. Pater ex se habet quòd à se procedat Spiritus sanctus: Filius verò non ex se, sed ex Patre habet quòd à se procedat idem Spiritus sanctus. Pater est fons & principium Filij atque Spiritus sancti secundum originem: Pater & Filius, fons & principium Spiritus sancti: Pater & Filius & Spiritus sanctus, fons & principium omnis creaturæ.

Divina illa & incomprehensibilis generatio ac processio sive emanatio, nec initium habet, nec finem habitura est: quia si aliquando desineret, aliqua mutatio circa Dei substantiam facta esse diceretur, quod dicere fas non est. Nun-

quam Pater fuit sine Filio, qui sine Filio Pater non diceretur.

Si summa cum imis comparare licet, Filius & Spiritus sanctus sic sunt à Patre, quomodo splendor & calor à sole vel igne aut flamma. Non est prior flamma, ac posterior splendor calorque ejus; sed simul flamma, simulque splendor & calor ab illa proficiscens: itidem non est prior Pater, ac posterior Filius, posteriorque Spiritus sanctus; sed simul Pater, simul Filius, simulque Spiritus sanctus. Coæva & inseparabilia sunt flamma, & splendor atque calor ejus: itidem coæternæ & inseparabiles sunt tres hypostases, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus.

Per mutuam & inenarrabilem ipsarum divinarum personarum immeationem atque immanentiam, totus Pater est in Filio & Spiritu sancto: totus Filius est in Patre & Spiritu sancto: totus Spiritus sanctus est in Patre & Filio. Id adhibita similitudine utcunq; elucidemus. * Si tres soles sibi contigui mundum, vel tres cerei domum aliquam illuminarent, utique tres fulgores conjuncti mutuo sese permearent inhabitarentque, toti in totis mutuo essent, & unum quendam fulgorem indivisum præferrent. Unirentur quidem, minimè tamen confunderentur inter se: neque enim unus fulgor esset alius, sed ipsi tres fulgores conjunctione uniti, discretione ab invicem permanerent separati. Cujus discretionis evi-

Enchiridij Patrum Lib. 2.

vestigium similitudinis à sole ad coæternitatem personarum sanctæ Trinitatis.

4. Invidua societas Trinitatis, per circummissionem seu

* Iterum similitudo, à luce & sole adhibita.

Diversa est processio Filij & Spiritus sancti à Patre. 202n. 13. 16. 17.

Inspiratio est generatio per generationem.

Processiones continentur a suis.



Enchiri-
dij Par-
vulorū.
Lib. 2.

dens argumentum istud est. quia si unus illorum trium cereorum asportaretur è domo, fulgor ejus totus integerque simul abiret, & nec ipse aliquid de reliquis duobus fulgoribus secum abduceret, nec illi duo aliquid de eo retinerent. Per prædictum unum fulgorem indivisum, humana imbecillitas indivisam inseparabilemque Deitatis substantiam; per tres verò fulgores, tres ejusdem Divinitatis personas se invicem permeantes atque inhabitantes, sicut potest, concipiat. Meminerit autem, hoc sensibile exemplū ipsa incomprehensibili Trinitate longè esse inferius. Visibilia cum invisibilibus, temporalia cum æternis, mutabilia cum incommutabilibus, corruptibilia cum incorruptibilibus comparantur: ut mens hominis in his, quæ de Deo audit, nihil dubitet, ubi ea aliquo modo in creaturis agnoverit. Nimirum enim absurdum foret, si putaremus Creatorem imperfectiorem esse suâ creaturâ, & id, unde admiramur atque commendamus creaturam, non crederemus posse inveniri in Creatore.

*Societas
trium per
sonarum
per indivi-
sibilem
inseparabilem
& incommu-
tabilem
simplicitatem.*

Igitur in Divinitate & personarum Trinitas, & substantiæ unitas est. Propter quam essentiæ unitatem, non possunt dividi ab invicem ipsæ tres hypostases: ad eò inseparabiles sunt, ut si una tantum nominetur, reliquæ duæ pariter intelligantur: & si solùm duæ nominentur, itidem tertia necessariò intelligatur. Vnde quando dicimus de Filio Dei, Tu unicum

bonum nostrum, non excludimus Patrem, neque Spiritum sanctum, sed omninò includimus; excludimus verò creaturam. Non tamen fas est credere compositam ex tribus personis esse Divinitatem, quæ simplicissima est. Quid enim compositum est, potest in ea ex quibus componitur dividi, aut distractione partium, aut certè apprehensione mentis ipsas partes componentes distinguentis. Ceterum divisio à Divinitate, quæ omnem multitudinem refugit, profus aliena est; proinde & compositio ei congrua non est.

Ipsius summæ Trinitatis, nempe Patris, & Filij, & Spiritus sancti, sicut una est substantia, ita una est æternitas, una gloria, una majestas, unum regnum, una eademque voluntas, una eademque operatio, & omnimoda in essentialibus proprietatibus æqualitas, similitudo, unitas, atque identitas. Planè trium personarum unica & eadem Deitas est, tota in Patre, tota in Filio, tota in Spiritu sancto.

Trinitas (quod sæpius repetimus) unus Deus est, unus inquam, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Ex Patre omnia, per Filium omnia, in Spiritu sancto omnia: & tamen etiam ex Patre per Patrem atque in Patre omnia, ex Filio per Filium & in Filio omnia, ex Spiritu sancto per Spiritum sanctum in Spiritu sancto omnia. Item Patri potentia, Filio sapientia, Spiritui san-

sancto bonitas attribui solet: at-
tamen Patris & Filij & Spiritus
sanctus, una est potentia, una sa-
pientia, una bonitas.

Quomodo
Pater per
Filium o-
peretur.

Dicimus Patrem omnia fecisse
per Filium, non sanè quasi per in-
strumentum servile, sed ut per na-
turalem substantialemque virtu-
tem: nam & splendorem ab igne
fusum non dicimus esse organum
administratorium per quod ignis
luceat, sed esse naturalem ignis
virtutem. †

5.
Etiam à
simplicio-
ribus my-
sticis hanc
sententiam
de sancto
cum be-
nignitate:

Verùm de Divinitate satis mul-
ta jam à nobis dicta sunt. Volui-
mus enim faciliora duntaxat scri-
bere in simpliciorum gratiam, ut
ipsi quoque per qualemcumque
Dei cognitionem, ad Dei dile-
ctionem assurgere contrescant,
mentes suas amanter humiliterq;
in illum ubique præsentem &
ipsis intimum sublevantes. Hor-
tamur itaque eos, ut id pro suo
modulo faciant: non autem per-
tinaciter perterritent imbecilles
interioris hominis oculos, inac-
cessæ Divinitatis luci insigere; ne
divinorum splendore hebetati,
densas erroris tenebras pro veri-
tatis certo lumine inveniant.
Omnis vana curiositas, omnisq;
temeritas summoperè hic fugien-
da est. Divinus ille Dionysius

Sed ab his
pernicax
curiosita-
te.

† Quæ hæcenus de Trinitate sanctissima
toto hoc capite accepimus, Theologicè fun-
data sunt apud D. Thomam & Scholasticos
Doctores 1. parte, à q. 27. ad 43. Turcius au-
tem & utilius ad præxim Asceticam, hæc
humiliter credere, quam subtiliter indaga-
re, ut jam monebit ipse R. D. Blofius; &
ante monuit Thomas à Kempis lib. 1. de
Imitatione Christi cap. 1. Quid prædesti-
biti, alta de Trinitate disputare, si carere humilitate uide-
re displicet Trinitati?

Areopagita ait: *Tantum fas est
ad celsiora contendere, quantum
seipsum divinorum eloquiorum ra-
dius insinuare dignatur: compara-
musque vires nobis ad supremos illos
fulgores, si divina sobriè, & piè ca-
stèq; reveremur.* a Aurea planè
Dionysij sententia.

Enchiri-
dij Par-
vulorū.
Lib. 2.

Esto sanè, ut nos summam Di-
vinitatem clarè contemplari in
hoc exilio non possimus: num
propterea spem salutis nullam
habebimus? Atqui à nobis non
exigit Deus ut naturam ipsius
exactè cognoscamus: sed exigit,
ut in recta fide Ecclesiæ Catholicæ
permanentes ipsum sanctè cola-
mus amemusque. Si in præsen-
ti vita non pertingimus ad Dei
sublimitatem, non recedamus à
Filij Dei humilitate. Illum pro
nobis ineffabili pietate & chari-
tate filium hominis factum, illum
pro nobis passum & mortuum at-
tendamus: ut ejus cruce tanquam
tutissimâ navi subvecti, mare
hujus sæculi absque naufragio
traiciamus, & feliciter pervenia-
mus ad portum salutis æternæ.
In beata illa patria videbimus
Deum sicuti est, & absque labore
eum cognoscemus. b

Non de-
bemus
velle ex-
celsè Deum
cognosce-
re: satis
est piè
credere
& colere.

a Hæc aurea sententia constat est ex ver-
bis S. Dionysij, collectis tum ex Epistolis ad
Timotheum, tum sparsim ex lib. de Mystica
Theologia, & maxime cap. 1. tum ex cap. 7.
de Divinis nominibus, tum ex aliis locis.

b Vsum & fructum spirituales in medi-
tatione & contemplatione Attributorum
Dei unius & trini, à R. D. Blofio in eum i-
nem hisce duobus capitibus traditorum,
peregre gè docet R. P. Thomas à IESV de
Contemplatione divina, toto lib. 4. in quo
etiam Plura Lector reperiet de praxi Con-
templativa ex aliorum Enchiridii lib. 2.
capitulum materia.

Q 9 9 3

CAPVT

Euchari-
dij Par-
vulorū.
Lib. 2.

CAPVT XI.

Quomodo rectè concipi debeat Filius
Dei Incarnatio.

1. Verbum Dei propter nos incarnatum ?
2. Christum simul Deum verum est, & verus homo: duas naturas integras & inconfusas in unica persona retinens.
3. Vnde Maria non solum Χριστόν & Mater Christi, sed & Mater Dei, Θεοτόκον & dici debet.
4. Filius Dei nec peccabilitatem assumpsit, nec ignorantiam,
5. Nec personam humanam, sed naturam: Christi tamen nomen utrumque dicit unà cum Deitate, sicut utriusque natura proprietatibus.
6. Ideo gemina in eo voluntas, & gemina operationes, non tamen dissidentes:
7. Hinc idiomatum sive proprietatum communicatio, sine identificatione aut confusione.
8. Divinitas post Incarnationem nunquam fuit separata ab anima & corpore Christi.
9. Corpus Christi post resurrectionem immortale & impassibile.

1. **V**ERE Filius Dei bona voluntate Patris, cooperatione Spiritus sancti, factus est filius hominis, factus est frater noster: ut per mortem suam nos redimeret, Patri obediens. Ipse (non autem Pater, neque Spiritus sanctus) incarnatus est. Descendit de cælis, de regalibus sedibus, de mellifluo sinu Patris, in hanc vallem miseriam, propter nimiam charitatem, quâ dilexit nos: id est, factus est visibilis per carnem apud nos, qui semper invisibilis per Divinitatem manet apud Patrem. Ibi mansit, unde descendit; & ubi erat, illuc venit. Similiter, per actum redemptionis nostræ opere, ascendit ad Patrem, non descendens à nobis: hoc est, hominem

Quomodo
& quan-
do facta
Dei Filius
incarna-
tio.
Philip.
2.

Ephes. 2.

Deo unitum cælis invexit, & Divinitate apud nos permanfit: quamquam in venerabili Eucharistiæ Sacramento etiam corporaliter usque ad consummationem sæculi nobiscum est. Ejus sacratissimam incarnationem tota Trinitas operata est. Quam incarnationem cum Angelus beatissimæ Virgini Mariæ annuntiasset, & illi assensum præberet, dicens, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*; mox superveniente Spiritu sancto, ipse Filius Dei, Deus de Deo, lumen de lumine, principium de principio, Verbum Patris, in castissimo Virginis utero corpus animatum sibi construxit, simulque suæ Divinitati hypostaticè univir.

Deus homo factus est. Unigenitus Dei, Deus & homo est: Deus quidem ex substantia Patris in temporaliter genitus, homo autem ex substantia Matris temporaliter plasmatus. Caro enim ejus ex purissimis Mariæ Virginis sanguinibus opere Spiritus sancti fabricata fuit. Ipse secundum Divinitatem æqualis est Patri & Spiritui sancto: secundum humanitatem minor est Patre & Spiritu sancto. Natura divina & natura humana in una hypostasi conjunctæ sunt: ita ut ille Deus homo, sive homo Deus, non sint duæ personæ, sed sit una hypostasis, unus Christus: sicut anima rationalis & caro una est persona, unus homo. In illo aliud Deus, aliud homo, sed non alius Deus, alius homo.

Marc. 14.

1. Concilio
vulorū
Dei &
vulorū
mo.

homo. Sicut in super sancta Trinitate est personarum pluralitas & naturæ unitas: ita contrà, in Christo est personæ unitas, & naturarum pluralitas.

Christus verus perfectusque Deus & verus ac perfectus homo, natus est in sexu virili ex Maria Virgine: unde & eadem Virgo rectè dicitur *Theozocos*, id est, Deipara: verè enim Deum peperit. Ille, sicut incomprehensibiliter absque virili semine de Spiritu sancto conceptus fuit, ita etiam ineffabiliter de thalamo pudicissimi uteri prodijt: utrobique lex naturæ nostræ separata est. In ejus conceptione & nativitate intacta clausaque permanit porta virginea: non est violata, sed sacrata Matris Virginitas. * Nam & radius solis per vitrum ingreditur sacrarium, rursusque per vitrum è sacrario egreditur, ac se recipit, absque vitri contractione vel lesione. Mater Virgo concepit, Virgo peperit, & post partum Virgo permanit. Porro quando ipse Filius Dei in utero ejusdem Virginis Mariæ incarnatus est, non est depressa Divinitas, verùm humanitas est exaltata: ille non desijt esse quod erat, sed assumpsit quod non erat.

Assumpsit totum hominem, nempe corpus humanum, & animam rationalem; non assumpsit peccabilitatem (ut ita loquamur) neque assumpsit in illa Deitatis & humanitatis admiranda unione, ignorantiam. Accepit

quidem naturam, quæ per se considerata ignorans est: sed quia Divinitati in eo conjuncta est, ignorans in eo non fuit. Christus enim ab ipso conceptionis suæ momento omnia scivit.

Quodd autem legimus in Evangelio, eum puerum profecisse sapientiâ & gratiâ; intelligimus sapientiam in illo non suscepisse augmentum, sed manifestationem: quemadmodum solis claritas, quæ semper æquè magna est, paulatim sese per orbem diffundit, primò quidem parcius, postea verò plenius. Et licet ipse idem Filius Dei in Evangelio die judicij dicat, *De die illo vel hora nemo scit, neque Angeli in celo, neque Filius, nisi Pater*: non debemus arbitrari Christum ignorare diem illum, cum constitutus sit omnium iudex: sed convenienter verba illa intelligimus, haur beatus Hilarius intelligit. Ait enim: *Filius & Spiritus sanctus, quia non sunt à se, de die illo nesciunt à se: Pater verò qui à se est, scit à se. Vel fortè Filius Dei*

^a Quia bonitas contemplationis fundanda est in veritate fidei; idè contemplationis studiosus bene faciet, si fundamenta dogmatum Blosianorum de Incarnatione Domini quærat apud Scholasticos Doctores in 3. partem D. Thomæ, ante & post questionem 17. in qua de peccabilitate & ignorantia, & aliis defectibus, an in anima Christi esse potuerint, disputatur.

^b In libris de Trinitate contra Arrianos, ex illis Christi verbis afferentes, Filium esse minorem Patre. Sic etiam explicant S. Athanasius Serm. 4. contra Arrianos, Augustinus lib. de Trinitate cap. 12. Basilius lib. 4. contra Eunomium, & alii veteres Patres.

Christi

Enchiridij Patvulorū. Lib. 2.

Luc. 1.

Elegantissimè do à sole.

Mar. 13.

AQ. 10.

3. Vete natus est ex Virgine perpetua: qua idè Deipara, nō solum Christipara est.

* Egre-gia comparatio solis.

4. Assumpsit Verbum totam naturam humanam, non peccabilitatem aut ignorantiam.

FIO

Enchiridij
Parvulorū.
Lib. 2.

Lucæ 8.
Ioan. 1.

Gen. 18.

5.

Verbum
non assum-
psit perso-
nam ho-
minis, sed
naturā:
& quid
importat
nomen
Christus.

Christus, cui nihil incognitum loquitur ibi de se tanquam de homine ignorante. Nam & quando de muliere (quæ sanguinis fluxu laborabat) ipsum tangente, dixit, *quis est qui me tetigit?* & de Lazaro ait, *Vbi posuistis eum?* non erat nescius quænam mulier fimbriam vestimenti ejus tetigisset, neque ignorabat ubi Lazarus positus esset: sed ad instar hominis ignorantis se habebat. Hujusmodi voces ignorantiae humanæ non solum in novo Testamento Deus factus homo, verum etiam in veteri Testamento Deus non homo usurpat. Dicit enim in Genesi: *Descendam, & videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint: an non est ita, ut sciam.* In plerisque alijs sacrae Scripturae locis, Deus summæ majestatis juxta modum humanæ humilitatis loquitur.

Etiā Christus in sua incarnatione non assumpsit hominis personam: nam anima & caro ipsius Christi non habuerunt aliquam hypostasim, præter illam quæ est Verbi seu Filij Dei hypostasis. Hoc vocabulum CHRISTUS, atque hoc mellissimum nomen JESUS, in ipso Filio Dei non solum naturam divinam, neque solum naturam humanam designat, sed utramque. Et non una natura ex illis duabus naturis in Christo composita est; sed illæ duæ diversæ naturæ in una hypostasi conjunctæ sunt, quarum quælibet cum suis proprietatibus man-

fit salva atque integra, absque aliqua confusione, commixtione, aut transmutatione.

Unde in illo erat gemina voluntas, scilicet divina & humana: erant geminae actiones, nimirum divinæ & humanæ. Et quamvis in eo essent duæ voluntates, geminam naturam consequentes, non tamen inter se dissidebant ipsæ duæ voluntates; sed voluntas animæ Christi per omnia conformis erat voluntati divinæ. † Gemina erat voluntas: sed geminae voluntatis una erat sententia, sicut geminae naturæ una erat hypostasis. Quod autem in oratione positus ipse Christus (cum calicem passionis à se transferri petiisset) dixit Patri, *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu;* id dixit non secundum superioris rationis voluntatem, sed secundum humanum affectum, naturalemque appetitum, quo quilibet mortem, & ea quæ naturæ molesta sunt, refugit. Hoc ita dicens, docuit nos quomodo dicere debeamus, quando in nobis infirmitas humana aliquid aliter vult, quàm Deus vult.

Igitur in Christo (quod modò dicebamus) & natura divina mansit cum suis proprietatibus integra, & natura humana cum suis proprietatibus itidem salva permanit: neque divina in hu-

† Notanda doctrina contra hæreticos Monothelitas, seu unice voluntatis in Deo incarnato assertores: quos hic solidissime confutatos vide, iuxta Theologiam D. Thomæ 3. p. q. 18. art. 1. 2. 3.

manam

INSTRVCTIO VITÆ ASCETICÆ. 971

Humanam, neque humana in divi-
nam mutata est. Ceterum di-
vina natura permeabat huma-
nam, & humana natura immane-
bat divinæ, atque à divina se per-
meante sibi que unità deificabatur:
veluti ferrum (ut interim in imo
exemplo in re tanta utamur) ab
igne se ingrediente & sibi unito
redditur ignitum: non natura fer-
ri in naturam ignis, neque natura
ignis in naturam ferri convertit-
tur. Proinde quando dicimus,
Verbum caro factum est, Deus ho-
mo factus est, non intelligimus a-
liquam mutationem esse factam
in incommutabili natura Dei, sed
intelligimus, Deum, sive Verbum
Dei, verè, non phantasticè, ho-
minis carnem animatà assumpsisse:
quemadmodum si dicamus,
Rex effectus est trabeatus, non Re-
gis substantiam mutatam esse,
verùm Regem trabeam induisse
significamus. In his itidem ver-
bis, Dominus gloriæ crucifixus
est, Deus passus & mortuus est, ac
similibus, non indicamus muta-
tionem aliquam factam esse in na-
tura divina, sed in natura huma-
na Divinitati unita. Rectè di-
cimus, Deus passus est, quia Dei
& hominis una persona est: non
autem rectè diceremus, Natura
divina passa est. Ob ineffabilem
illam unionem, quâ Deus homi-
ni in unitate personæ conjunctus
est, sæpè ea quæ in Christo sunt
propria hominis, attribuuntur
Deo: veluti quando dicimus illa
quæ modò commemoravimus,

Dominus gloriæ crucifixus est,
Deus passus ac mortuus est, Deus
in terra visus est: rursus quæ sunt
propria Dei, attribuuntur homi-
ni, ut in illo loco Evangelij, *Ne-
mo ascendit in celum, nisi qui de-
scendit de celo, filius hominis qui est
in celo*. In hunc modum quem-
libet hominem aliquando dici-
mus immortalem, aliquando
mortalem: immortalem quidem
secundùm animam, mortalem
verò secundùm corpus. Id sanè
dicimus, & dicere possumus,
propter illam unionem, quâ ani-
ma & caro intimè sibi in unitate
personæ copulantur. Igitur Chri-
stus secundùm naturâ humanam
esurivit, sitivit, comedit, bibit,
dormivit, fatigatus est, flagella-
tus est, mortuus est: nam natura
divina inalterabilis impassibilisq;
permanet. Quemadmodum e-
nim, dum arbor à sole illustrata
conscinditur, non scinditur ipse
sol: ita quando in Christo natura
humana patiebatur, natura divi-
na passioni obnoxia non fuit.

Quamvis autem Christus verè
mortuus sit ut homo, & anima
ejus verè à corpore separata fuerit
(nam mox ad inferos descendit
ut inde suos eriperet) Divinitas
tamen neque ab anima neque à
corpore ipsius fuit sejuncta. Nun-
quam enim factum est, neque fiet
unquam divortium illius stupen-
dæ & gratiosæ unionis, quâ ipsū
Verbum Patris suæ sacratissimæ
animæ, suoque incontaminato
corpori

R r r

corpori

Enchiri-
dij Par-
valorū.
Lib. 2.

Ioan. 8.
Quomodo
filius ho-
minis de-
scendit
de celo.

Simile in
arbore.

8.
In viduo
mortis, nō
est sepa-
rata Dei-
tas ab ani-
ma &
corpore
Christi.

Quomodo
Deum vel
Verbum
factum
est homo,
ut ferrum
in igne.
Ioan. 1.

Quomodo
Deum pas-
sus &
mortuus.

Enchiri-
dij Pax-
yulosi.
Liber 2.

corpori in utero beatæ Virginis Mariæ hypostaticè unicum fuit. Ergo & in sepulchro Christus, & in inferno Christus erat: quia utrobique Divinitas humanitati erat unita; in sepulchro quidem carni sine anima, in inferno autem animæ sine carne. Neque tunc una hypostasis in duas hypostases fuit dissecta: sed Verbi hypostasis semper mansit animæ & corporis hypostasis. Nam (sicut diximus) ipsa anima & ipsa caro Christi non habuerunt aliquam hypostasim, præter illam quæ est Verbi seu Filij Dei hypostasis.

Christus à mortuis resurgens, jam carnem habuit immortalem, mors illi ultra non dominabitur: & nostra caro post resurrectionem immortalis erit. Fiet in membris, quod factum est in capite. Christus caput est omnium electorum suorum, & electi membra Christi sunt. Christus caput Ecclesiæ est, & Ecclesia mysticum Christi corpus est. Totus Christus, caput & corpus. Hinc ait in Evangelio: *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo. Solus omnino, qui descendit, ascendit: quia solus, sed totus Christus*

†. Tritum est enim de unione hypostatica Theologicum axioma: *Quod semel assumptum, nunquam dimissum, & in eo fundatur dogma Catholicum de concomitantia Deitatis in carne & sanguine Eucharistico, iuxta Synodum Tridentinam sess. 13. cap. 3. & can. 1.* Unde rogo Lectorem, ut notare & admirari velit, sicut par est, soliditatem, claritatem, subtilitatem doctrinæ Theologicæ toto hoc Enchiridii libro traditæ, in qua non est dubitandum, R. D. Blossium tam malignis Ecclesiæ temporibus peculiariter à Deo illuminatum fuisse.

Post re-
surrectio-
nem Chris-
tus totus
immorta-
lis est.
Rom. 6.
2do. etiam
sicut ca-
put nos-
trum
Christus,
immorta-
les eri-
mus.
Joan. 3.

(caput scilicet cum vivis membris) in cælum ascendit. Hinc etiam in Psalmo ita loquitur: *Longè à salute mea, verba delictorum meorum.* Quod nostrum est, sibi attribuit; nostra delicta, sua dicens, ut capitis & corporis conjunctionem unitatemque ostendat. Ipse nos secum levavit in cælum. Ibi jam spe sumus, ubi caput nostrum & caro nostra est. Veniet ad judicium Christus Dominus: veniet in forma servi iudicaturus, quam pro nobis assumpsit, & in qua venit iudicandus. Hæc de incarnatione Dominica pietatis charitatisque plenissima, à nobis dicta hoc loco sufficiant.

CAPVT XII.

Quanam à simplicioribus cognosci debeant de anima rationali & Angelis.

§. I.

Creatio animarum & Angelorum.

1. Facilius ex anima cognitione, quam aliarum rerum, pervenitur ad agnitionem & amorem Dei.
2. Unica anima præstantior est universo mundo corporeo.
3. Per eam habet homo omnium creaturarum perfectiones.
4. Quatuor gradu rerum creaturarum.
5. Angeli & homo creati ad Dei imaginem, quæ licet potuerit in eis obscurari, non tamen pernitens deperdi.
6. Creati ad participationem beatitudinis divinæ, quàm multi ex eis liberi arbitrij culpa amiserunt.
7. Excellentia liberi arbitrij: & illud ad usum nobis manere, tam ad bonum quàm ad malum.

CVM Angelus & homo duntaxat possint ipsam Divinitatem

INSTRVCTIO VITAE ASCETICAE. 313

aperta fa-
ci ad co-
gnitionē
& ama-
rem Crea-
turā

tatem (de qua suprà locuti sumus) agnoscere, venerari & amare; non erit fortè inutile, neque ingratum parvulis ac pijs, si de illis aliqua in medium protulerimus: ob id maximè, quòd anima humana ex attenta intimaque sui consideratione, magis in cognitione sui Conditoris proficere possit, quàm ex consideratione quarumcunque rerum visibilium. Ipsa enim magis è propinquo repræsentat Deum, quàm creatura visibilis: sicut hominis imago magis accedit ad veritatem corporis humani, quàm hominis vestigium terræ impressum.

2.
Anima
rationa-
lis tota
mundo
corporeo
melior.

† Dicimus igitur, Angelum & animam humanam ceteras omnes creaturas dignitate præcedere, imò verò unius hominis animam præstantiorem esse universo hoc mundo visibili. Deus enim orbibus cælestibus, elementis, lapidibus, metallis, dedit quidem esse; non autem dedit vivere, neque sentire, neque discernere:

† Monco te, amice & pie Lector, ut legens hæc admiranda dogmata Blossiana de spiritibus Angelicis & humanis, ex intimis reconditæ Philosophiæ ac Theologiæ deprompta, credas ea esse conformia doctrinæ Aristotelicæ ac Thomisticæ, idque videbis, si legas Aristotelis libros de Cælo, & libros de Anima; & D. Thomæ 1. p. Quæstiones varias à q. 50. quæ est de Angelis, usque ad finem primæ Partis, ubi omnia quæ de Angelis & anima humana hic traduntur, inter Doctores disputantur; item S. Basilij, & S. Ambrosii, & aliorum Hexaëmericos Tractatus. Sed cum maximè subtilium harum rerum tractatio ex mente Blossij ad pietatem & ædificationem animæ referenda sit, satis erit denuò monuisse, praxim harum omnium speculationum meditatoriam reperiri apud R. P. Thomam à IESV de Contemplatione divina lib. 4. Hierarchiæ 2. gradu 1.

herbis & arbutis dedit esse atque vivere, id est, vegetari, sed non sentire, neque discernere: brutis animalibus dedit esse, vegetari, & sentire, at non discernere: ceterùm Angelo atque homini dedit esse, vivere, sentire, ac discernere. Angelus & homo discernere possunt, propter intelligentiam atque rationem quam à Deo acceperunt.

Enchiridion
dij. Par-
vulorum
Lib. 2.

Homo secundum corpus & contemperamentum ex quatuor elementis, communicat cum lapidibus, alijsque rebus inanimatis, & cum plantis viventibus, atque cum pecudibus sentientibus.

3.
Tribus
anima
hominis
omnium
creaturarum
perfectio-
nes. Essentia
Vivens.

Secundum vitam vegetativam, communicat cum plantis & pecudibus duntaxat, communem possidens cum eis vim altricem, quâ nutritur; vim augmentatricem, quâ quisque ad statam determinatamque magnitudinem crescit; & vim seminariam sive generatricem, quâ id quod ejusdem secum speciei ac naturæ sit, producere potest.

Secundum vitam sensitivam, communicat cum pecudibus tantum, sortitus communes cum eis sentiendi potentias: nam & ipse & illæ habent visum, auditum, olfactum, gustum, tactum, motum corporis ac membrorum (qui motus etiam vocis emissionem atque respirationem fit) facultatem quoque imaginandi, memorandi, & appetendi.

Sentire

Appetitus deducitur in concupiscentiam & iram: unde oriuntur

Appetere

R r r 2 tur

Enchiridij Parvulorū. Lib. 2.

tur hæc quatuor, nempè desiderium, quando res concupita abest; voluptas, si res concupita adsit; item timor, dum mente concipimus futuram rem quam nolumus; & tristitia, dum ea res quam nolumus præsens est.

Imaginari.

Pecudes, id est bruta animalia, cognoscere dicuntur ea, quæ sensibus apprehendunt: & sicut cognitionem habent secundum sensum, ita etiam vim imaginandi & memoriam sensitivam, appetitumque sensitivum obtinent. Ea enim quæ sensibus exterioribus, visu, auditu, olfactu, gustu & tactu percipiunt, possunt imaginari, recordari, & appetere. Ad vim imaginatricem spectant etiam illa phantasmata quæ Visa inania appellamus. Ea nullam rem, sicut in natura est, repræsentant: & ferè ex pluribus simulacris ac spectris simul comixtis efformantur, veluti si intus occurrat figura equi prodigiosæ molis & alati; nam talem natura non parit.

Intelligere vel le, cum Angelus sunt animalia composita.

Homo non solum præditus est vi cognoscendi, imaginandi, memorandi & appetendi secundum sensum; verum etiam præclare ornatus est virtute cognoscendi, cogitandi, memorandi que secundum intellectum, & appetendi secundum rationem. Ipse sensu corporis sola materialia, intellectu verò mentis & immaterialia & materialia cognoscit. Anima rationalis cognoscit Deum supra se, se in se, Angelum circa se, &

sensibilia infra se. Cognitio pecudum, est veluti umbra cognitionis hominis; & cognitio hominis in hoc exilio adhuc constituti, umbra cognitionis Angeli Deum sicuti est cernentis; atque cognitio Angeli, tenuis umbra cognitionis divinæ. Angelus non corporaliter, sed spiritualiter subsistit, vivit, & sentit: in qua spirituali dignitate homo secundum animam cum Angelo convenit.

Quemadmodum spiritus præstantior est corpore; ita existentia, vita, & sensus spiritualis præstantior est existentia, vitâ, sensuque corporali. Quare visus, auditus, olfactus, gustus, & tactus spiritualis perfectior est visu, auditu, olfactu, gustu, & tactu corporali.

Deus, qui creaturæ suæ ista contulit, perfectissimè habet quæ dedit: sed cum ipse sit ens summe simplex, summeque unum, in eo non est aliud vivere, sentire & intelligere, quàm esse: non enim aliud est id quod Deus habet, atque aliud ipse Deus qui habet.

Sicut ex prædictis liquet, dignitas rerum creaturarum distincta est tanquam quatuor gradibus, juxta gradatum ordinem quatuor elementorum. Quemadmodum enim terra densa & gravis in summo loco strata est, aqua verò subtilior & superior est ipsâ terrâ, aer subtilior, superiorque aquâ, & ignis levior atque superior aëre: ita ea quæ subsistunt quidem, sed non vivunt, postremum dignitatis lo-

Qua sensu-
sunt,
Qua ratione
vivunt.

tis locum tenent inter creaturas: ipsis siquidem digniora sunt ea quæ subsistunt, & vivunt: istis item digniora sunt ea quæ subsistunt, vivunt ac sentiunt: rursus his digniora sunt ea quæ subsistunt, vivunt, sentiunt, atque intelligunt.

§. An imaginem Dei creari. An angelus & homo. Gen. 2. Imago non perditur.

Deus igitur Angelo & homini intellectum rationemque concessit, atque ita utrumque ad imaginem suam condidit: ad imaginem Dei factus est homo secundum animam. Quæ Dei imago potest sanè peccando obscurari, fœdarique, sed deperdi nunquam potest. sicut aurea Regis effigies, si in cœnum conijciatur, vel cœno illinatur, deturpatur quidem, non autem aboleretur. In his tribus creaturæ rationalis potentijs, memoriâ, intellectu & voluntate, sanctæ Trinitatis similitudo relucet. O miram dignitatem ipsius creaturæ rationalis, quæ Deum intellectu cognoscere, memoriâ recolere, voluntate eligere ac diligere, eoque frui potest! Per tres illas excellentissimas vires, est capax scientiæ, disciplinæ, consilij, virtutis, sapientiæ, sinceræ voluptatis, & beatitudinis sempiternæ. Bruta animantia intellectu & ratione carentia, voluntatem non habent. Ipsa cum intellectu ac voluntatis expertia sint, nihil aliter quàm per sensus comprehendere, & nihil liberè eligere possunt. Nonnunquam tamen dicuntur, ob quandam similitudinem, & illa intelligere

In tribus potentijs anima est imago divinitatis.

quæ sensu percipiunt, & illa vel le sive eligere quæ naturali appetitu instinctuque concupiscunt ac prosequuntur.

Enchiridij Parvulorum Lib. 2.

Bonus Deus Angelum hominemque ad hoc condidit, ut & ille & iste beatus quadam sui participatione fieret: vidit enim, suam beatitudinem & communicari posse, & minui non posse. Sed tantæ felicitatis consortium multi Angeli suâ culpâ perdidērunt: multi item homines similiter illud perdunt.

6. Et ad beatitudinis eterne participationem, nisi per peccatum ab ea excludamur.

Ipsè Deus, qui voluntate summe liber est, Angelo & homini liberum voluntatis arbitrium contulit, ut uterque laude atque præmio digna ageret. Quid enim laudis, quid præmij mereferet homo vel Angelus, si malû facere non potuisset, & bonum non voluntatis electione, sed necessitate naturæ faceret, quemadmodum ignis necessitate naturæ sursum fertur? Profectò neque Angelo, neque homini Deus aliquid præstantius contulit libero arbitrio. Nam si eis libertatem arbitrij negasset, onaninò benè vivendo, præmium non mererentur; sicut nec malè vivendo, supplicium: æternæ beatitudini capessendæ apti non essent: non magis laude digni haberentur, quàm bruta animalia; quæ cum naturam nequaquam ducant, sed à natura ducantur, non voluntate eligente, sed naturâ cogente, appetitum concupiscentiamque suam sequuntur. Creatura rationalis

7. Liberum arbitrium nunquam extinguitur.



Enchiridii Parvulorum Lib. 2.

si liberum arbitrium non haberet, voluntatem habere dici non posset: non enim voluntas esset, si coacta esset. Libera igitur & spontanea est voluntas, libereque eligit. Verum neque Angelus, neque homo, bonum † sine gratia & adiutorio Dei eligit.

† Bonum naturale vel morale potest fieri aut eligi à libero arbitrio viribus naturæ sine gratia; non autem supernaturale vel utile ad æternam salutem promerendam. Ita est definitum in Synodo Tridantina sess. 6. De justificatione Can. 1. 2. 3.

S. II.

Lapsus Angelorum & hominum.

1. Angelis & hominibus mora aliqua fuit concessa, in qua se ad Deum converterent: quæ pro sua libertate quidam bene, quidam male usi sunt.
2. Homo creatus in innocentia natura, & donis gratiæ;
3. Collocatus in paradiso, loco amantissimo, statumque ipsius convenientissimo.
4. Per peccatum tam à statu illo felici, quam à loco amano dejectus fuit.
5. Restitutus tamen gratia, per adventum Elij Dei in carnem.

1. **Q**uemadmodum autem Angelus divina lege certam quandam moram, (quantulacunque illa fuerit) acceperat, in qua se ad Deum, Deo adjuvante, convertere posset, si vellet: ita homini vitæ hujus curriculum indultum est, in quo si bene vivere velit, præstare id cum Dei auxilio possit. Et † sicut inter Angelos naturâ vertibiles mutabilesque illi qui in prædicta mora Deo

Beati in bono confirmati:

† Quæ hic breviter habes de lapsu Angelorum, fusè ostenduntur apud D. Thomam per novem articulos q. 63. in 1. p. ubi agitur de Angelorum malitia quoad culpam.

per obedientiam atque amorem adhæserunt, gratiâ Dei in bono confirmati sunt, & jam à bono dimoveri non possunt; alij verò qui per rebellionem sese à Deo averterunt, in malo (gratiâ Dei eos destituyente) obdurati sunt, & jam à malo deflecti nequeunt: ita homines, qui ad Deum conversi, sive charitate ornati sunt quando ex hac vita emigrant, nunquam deinceps à Deo averti poterunt; etiam si tales sint qui nondum plenius cæli gaudijs beari, sed adhuc transitorijs purgatorij pœnis detineri debeant: qui autem à Deo aversi, charitateque profus vacui sunt dum moriuntur, perpetuò à Deo aversi erunt. Quæ tamen immobilitas non in eis libertatem arbitrij tollit, imò verò illam perficit in bonis. Ipsi enim boni Angeli, & sanctæ animæ è carnis ergastulo egressæ, liberrimè maximeque spontaneè bonum (gratiâ Dei adjuvante) eligunt, ac malum respuunt: mali item spontanea voluntate bonum respuunt, malumque eligunt.

Deus fecit hominem rectum, omnino pravitate carentem, omni virtute decorum, fortem, jucundum, securum, tranquillum, & bonis omnibus ornatum. Ipse enim homo antequam per inobedientiam peccaret, erat veluti alter Angelus. Nam omnis timoris omnisque anxietatis expers, contemplatione divinorum pure animinum oblectabat pascebatque Deum cognoscebat, Dei familiaritate

ritate fruebatur, Deo obediebat, Deum reverebatur, diligebat, colebat & laudabat assidue. Eum ejusque gloriam in omnibus quærebat: non se perversè amabat, nihil inhonestè aut indecenter appetebat, carnem habens spiritum per omnia subjectam. Poterat non mori, & poterat mori: quia per Dei gratiam atque arbitrij libertatem poterat non peccare, & per eandem arbitrij libertatem poterat peccare. Si non fuisset transgressus præceptum Dei, si tentatori ad peccatum illicienti non consensisset, mortuus etiam non fuisset; possidens corpus semper vegetum, nulli morbo, nulli dissolutioni obnoxium.

3.
Gen. 2.
& 3.
Paradi-
su serre-
stris pro
temmoda
habita-
tione
Adamo
& Eva
consequi.

Positus fuit in paradiso quem plantaverat Deus. Congruum enim erat, ut is qui conditionem brutorum animantium tanto intervallo superabat, & ad dignitatem Angelicam proximè accedebat, locum sortiretur inferiorem quidem Angelorum domicilio, præstantiorem verò pecudum habitaculo. Homo quippe ex invisibili & visibili natura coalitus, omnifariam medius est, tanquam nexus quidam & vinculum omnis creaturæ. Incolebat ergò homo paradysum terrestrem, locum lucidissimum, locum omnigenæ amcenitatis, heritæ, voluptatis, & opulentæ; locum aère subtilissimo purissimoque præcellentem, plantis semper viventibus insignem, odoris grata

suavitate refertum, & veris perpetua temperie vernantique ardentem. Ibi non æstus, non frigus, non venti, non tempestates, non aliqua alia peregrina erant, quæ molestiam adferre possent. De quo paradiso ipse homo, si Deum non offendisset, translatus fuisset in cælum, & animale corpus ejus (nulla morte interveniente) in spirituale fuisset demutatum, sicut corpora justorum in resurrectione immutabuntur.

At post offensam in Deum commissam, felicissimus ille status planè eversus est: id quod nos heu! miseri quotidie experimur. Nam peccato per liberum arbitrium admissio, ipsa arbitrij libertas non quidem profus perditæ, sed misere labefactata infirmataque est. Cœpit caro rebellis esse spiritui, & innumera mala subsequuta sunt. Adam & Eva prævaricatores primique parentes nostri è loco voluptatis ejecti, atque in hoc calamitosum exilium relegati, filios in libidinis ardore genuerunt: qui si non peccassent, habere liberos absque concupiscentiæ æstu potuissent, eo quem novit Deus modo. Hinc in posteros omnes secundum ipsam carnem concupiscentiam genitos peccatum, corruptio, & mors pertransijt. Dum enim anima rationalis corpori in libidinis fervore concepto, & concupiscentiarum pleno, à Deo infundi-

tur,

Enchiridij Parvulor. Lib. 2.

1. Cor. 15.

4.
Afiato
& loco
dejecti
propriet
peccati.Arbitrij
debilitas,
Carnis rebellis.Rom. 5.
Mors
& peccati
originalis
in posteris derivatio.

Enchiridij Parvulorū. Lib. 2.

tur, mox ex ipsius pollutæ corruptæque carnis consortio polluitur, vitiumque concupiscentiæ, & reatum originalis culpæ contrahit, quemadmodum si purum balsamum sordenti vasculo fuerit instillatum, continuò inficitur contaminaturque.

Attributa Angelorum & animarum.

1. Angelus & anima circumscribuntur loco, tempore, & comprehensione, seu limitibus naturæ. Angelus quidem loco, in quo operatur, anima verò rationalis, ratione corporis cui alligatur.

2. Angelus etiam & anima circumscribuntur tempore; non enim fuerunt semper: sed Angeli simul creati sunt initio temporis; anima verò tunc creatur, cum individuus corpori suo insinatur.

3. Circumscribuntur etiam comprehensioni intellectivæ terminis.

4. Sunt autem immateriales utriusque, licet Deo comparati quodammodo corporales dici possint.

5. Angelorum insertiones & lingua, & ipsorum Hierarchia.

6. Nunquam peccaverunt nunquam peccabunt Angeli: anima in hac vita adhuc peccatrix sunt.

5. Sed gratia tandem per Christum restituta facta. Gen. 2. Ioan. 3. Ioan. 4.

Non tamen nos perditos benignus Deus dereliquit. Nam miseratus infelicitatem hominis ad imaginem suam, secundum Spiritum, conditi, qui maligni serpentis suggestionem circumventus peccando perierat, misit Filium suum in mundum. Venit Unigenitus Dei ad nos, carnem nostram assumpsit, erexit prostratos, sanavit saucios, roboravit infirmos, illuminavit cæcos, docuit ignaros.

Galat. 4.

Ex filijs iræ, fecit filios misericordiæ; ex filijs diaboli, fecit filios Dei. Exempla virtutum ostendit, Sacramenta instituit, Sanguinem pro nobis fudit, sua nos morte

Ephes. 2.

redemit, & redemptis æternitatis aditum devicta morte reteravit.

* *



Angeli & animæ rationalis substantia, eximiam diviniæ substantiæ similitudinē præfert. Est enim spiritualis, invisibilis, infigurabilis, immaterialis, simplex, indivisibilis, sed circumscripta. Circumscribuntur Angelus atque anima humana trifariam, more sensibilibus, sed minus quàm sensibilia: circumscribuntur, inquam, loco, tempore, & comprehensione.

Loco circumscribuntur, non quidem corporali (cùm utriusque essentia sit incorporea) sed loco intellectuali. Sensibilia dimensionem longitudinis, altitudinis & latitudinis habentia, sui interpositione distantiam circumstantium in loco faciunt: spirituales verò & immateriales creaturæ non faciunt huiusmodi distantiam in loco. Si enim in certo aliquo

INSTRVCTIO VITÆ ASCETICÆ: 719

aliquo loco plures fuerint spiritus, non propterea redditur ipse locus angustior, quò minus corporalia & sensibilia recipere continereque possit. Angelus & anima humana idcirco dicuntur loco circumscribi, quòd præsentia atque operationis suæ modum finemque determinatum habeant. Ita alibi sunt, ut alibi non sint: solus enim Deus ubique est.

Si Angelus in cælo est, in terra simul non est: veluti si lumen cereoli accensi templum Ierosolymis illustret, ipsum idem lumen tunc in facello Romæ sito non est, nec ipsum facellum Romanum illustrat. Quando autem in terra est Angelus, aut ad externa administranda mittitur, non ob id minus fruitur jugi visione Dei; quàm si in cælo esset. Tanta ejus agilitas & pernitas est, ut celerius moveatur atque transeat, quàm fulgur emicet. Angelus & anima à corpore separata, nonnuncquam visibilem formam assumunt talem & qualem voluerit Deus, ut ab his conspici possint quibus apparent: verum ejusmodi figura de eorum substantia non est.

Anima rationalis in hac peregrinatione corpori alligata, magis censetur circumscribi loco, quàm Angelus qui corpori alligatus non est. Illa tota toti corpori, totaque cuilibet corporis viventis parti adesse dicitur; Deum aliquo modo imitata, qui totus in toto mundo, & totus in qualibet mundi parte est. Peculiariter ta-

men in corde & cerebro anima perhibetur esse, quemadmodum Deus in templo nomini suo dedicato, & in cælo singularis est.

Vnde non sine causa homo dicitur esse μικροκοσμος, hoc est, minor mundus. Nam & quatuor gradus substantiarum, quibus major mundus perficitur, in se continet; quia subsistit, vivit, sentit & intelligit. In eo mens sive ratio est veluti supremum cælum. Convenit ergò ut appetitus rationalis dominetur, appetitus verò sensitivus obtemperet. Si anima sanctitate ornatur, in ea fides charitate illustris est tanquam sol, continentia ut luna, ceteræ virtutes sicut sidera.

Ipsa anima nec partiri, nec augeri, nec minui potest. Non est major in virili hominis ætate, & minor in ætate puerili: æquè magna est si corpus fuerit breve, sicut si esset proceritatis giganteæ. Ipsa corpus permeat, permeandoque vivificat; nutritionem, sensuum perceptionem, motum & appetitum efficiens. Eadem facilitate moveret corpus ingentis magnitudinis, qua facilitate movet corpus mediocris stature. Ipsa videt per oculos, audit per aures, loquitur per os: ipsa visibilem decorem, quem corpus habet, subministrat, Deo eum suppeditante. Non tamen est pulchrior in pulchro corpore quàm in deformi, nisi in pulchro corpore sit sanctior quàm in deformi: sed tam in deformi quàm

Enchiridij Part. 2. Lib. 2.

2. Cur homo dicitur esse parvus mundus? seu μικροκοσμος.

4. Anima in corpore indivisibilis nec augetur, nec minuitur.

Vera anima pulchritudo.

Angelus enim non est simul in pluribus locis.

Dei frui. Celerissimus in actione. Matth. 18.

Dei visibilem formam induit.

2. Animarationalis tota in toto corpore, in qua libet parte ejus.



Enchiri-
dij Par-
vulorū.
Liber 2.

in pulchro corpore est pulcherri-
ma, si peccatis non fuerit detur-
pata. Visibilis pulchritudo cor-
poris non prodest, si desit invisibi-
lis pulchritudo mentis: illam ho-
mo cum inanimatis & pecudi-
bus, istam cum Angelis commu-
nem habet. Anima rationalis eō
pulchrior est, quō innocentior, &
virtutibus donisq; cælestibus or-
natio fuerit.

3. Quid
corpus,
quid ani-
ma, per
mortem
deserit.

Quid si corpus sine anima, vi-
demus, quando per mortem se-
parata est anima à corpore. Frustrā
tunc patent oculorum fenestræ:
nam qui per illas prospiciebat,
abscessit. Jacet terrenum habita-
culum ab habitatore desertum.

2.
Circum-
scribun-
tur dura-
tione, si-
ve sacu-
lo & tem-
pore.

Quōd Angelus & anima ratio-
nalis circumscribantur sæculo si-
ve tempore, manifestum est. Ne-
que enim semper fuerunt, sed esse
in ceperunt: quamquā esse non
desinent, quia immortalitatem
munere conditoris acceperunt.

1. Tres
spiritus
vitales à
Deo crea-
ti dura-
tione di-
stinguun-
tur.

* Hac
sunt fe-
re verba
sumptā
ex B. Gre-
gorio
Magno
Papa
lib. 4.
Dialo-
gorum
cap. 3.
2. Ange-
li omnes
errati si-
mul: ani-

Deus enim creavit tres spiritus
vitales, nempe spiritum brutorū
* animalium rationis expertem,
qui carne tegitur, & cum carne
moriatur; spiritum humanum ra-
tionis participem, qui carne te-
gitur, sed cum carne non mori-
tur; spiritum Angelicum etiam
rationis participem, qui nec car-
ne tegitur, nec moritur.

Angelus majoris ævi est, quā
anima humana. Nam Angelos
quidē omnes Deus in initio crea-
tionis mundi condidit, animas
autem non format antequam
condat corpora quibus illæ u-

niendæ sunt. Dum quamlibet
animam creat, eam simul corpo-
ri disposito infundit: ita ut ne
minimo quidem momento ipsa
animæ creatio præcedat sui infu-
sionem unionemque cum cor-
pore.

Porro neque Angelus, neque
anima humana, de substantia Dei
sunt: (nam si de substantia Dei
essent, nunquam ad malum de-
flecti, nunquam peccare potuis-
sent) sed tam illum quā istam
ex nihilo creavit Deus.

Circumscribuntur Angelus &
anima comprehensione, quia in-
tellectu comprehenduntur: inter-
minum etiam Deum omnino atq;
integrè comprehendere non pos-
sunt, cū intellectum termina-
tum habeant. Vbi venerimus ad
supernam & æternam illam pa-
triam, agnoscemus plenius natu-
ram Angeli atque animæ ratio-
nalis, agnoscemus speciem & ter-
minum substantiæ utriusque:
nam hic ipsæ animæ nostræ ne
sibi quidem facis cognitæ sunt,
tantum abest ut Angelos exactè
comprehendant.

Sanè alia est natura Angeli, at-
que alia natura animæ humanae,
& mens Angelica secundum na-
turam præstantior esse asseritur
mente humana.

Angelus non potest ingredi
substantiam animæ, neque anima
substantiam Angeli: spiritus ve-
rò increatus Deus, creaturæ sue
capax, tā spiritui Angelico quā
humano illabitur.

Quando

*Si Quomodo
diabolicus
instinctus
energum
magor.*

Quando aliquis vexatur à spiritu diabolico, non debemus existimare substantiam diaboli ingressam esse substantiam spiritus humani: sed ipsum spiritum malignum, malitiæ suæ effectum permissione Dei in corpore humano exercere, animamque tartareis diverberare flagellis, inficere venenis, aut inflammare incendijs.

4.

*Respectu
corporum
sunt im-
materialia
ter; com-
paratione
Dei, ma-
teriales
dici pos-
sunt tam
Angelus
quam a-
nima hu-
mana.*

Si vel Angelus vel anima humana conferatur cum crassitie corporis sensibilis, rectè immaterialis dicitur: si verò comparetur cum Deo, jam & ille corporeus, & ista corporea materialisque dici potest: non quòd corporeâ materia constet, sed quòd à Dei simplicitate nimium absit, quemadmodum aqua si conferatur cum terra, rara & subtilis est; si cum aëre conferatur, jam densa crassaque esse censetur. Sola Divinitas propriè dicitur immaterialis & incorporea, quæ ex se, id est ex sua natura est simplicissima. Itidem ipse Deus solus propriè dicitur immortalis: nam Angelus & anima non ex se, sed indultu & gratia conditoris immortales sunt.

5.

*Angelo-
rum locu-
tio &
hierar-
chia tri-
plex per
novem
choros.*

Voces sermonesque Angelorū spirituales sunt, tantò meliores & perfectiores vocibus nostris quas linguâ carnis emittimus, quantò spiritus dignior est corpore. Ipsarum cælestium substantiarum, videlicet spirituum Angelicorū, tres sunt hierarchiæ, id est, sacri Principatus: quæ ternaria distin-

ctio imaginem beatæ Trinitatis pulchrè repræsentat. Ad eisdem sanctæ Trinitatis similitudinem unaquæque hierarchia digeritur in tres ordines sive choros. Nam prima seu suprema hierarchia discreta est in Seraphim, Cherubim & Thronos: secunda sive media, in Dominationes, Virtutes & Potestates: tertia, in Principatus, Archangelos & Angelos.

Nos corruptibili carne depressi, & multis peccatorum sordibus foedati, longè inferiores sumus ipsi sanctis Angelis qui Deo nunquam displicuerunt; nunquam enim peccaverunt, neque peccabunt unquam. Et quamvis magno intervallo nos miseros dignitate puritateque transcendant, plurimum tamen oprant & satagunt, ut illis in æterna gloria æquemur, vel etiam eos præcedamus. Tanta videlicet humilitas, tanta benevolentia, tanta benignitas, caritas, in eis est. Hos imitari, hos diligere ac venerari, horum felicissimum consortium omnibus votis expetere, & ad illud semper suspirare debemus. O quam beati erimus, quando eorum jucundissimis cœtibus admixti, Dominum Deum nostrum unâ cum ipsis laudabimus in sæcula sæculorum! Nos tunc summo bono perfectè conjuncti, castissima voluptate divinæ fructiois omnino replebimur, & inenarrabili lætitia undique circumdabimur. Non totum gaudium intrare poterit.

*Enchiridij
Parvulorū.
Lib. 2.*

6.

*Anima
adhuc
sunt pec-
catrices
in vita
non autem
Angeli
& tamquam
Angeli,
optant
conferre
in celo
habere
nos. &
beatum
consortium.*

Enchiridij Parvulorū. Lib. 2.

Matth. 25

terit in nos gaudentes : sed toti gaudentes intrabimus in ipsum gaudium. Nam cum omnis creatus spiritus sit finitus, infinitum bonum, infinitum gaudium penitus comprehendere non potest: sicut pisciculus in immenso pelago natans, totam aquam imbibere nequit. Planè in Deo, in visione melleæ faciei ejus, in clara contemplatione Divinitatis ipsius, terminum finemque desideriorum nostrorum inveniemus; in eo enim omnis sufficientia & excellentia est.

§. IV.

Ex quarto libro Dialogorum beati Gregorij Papæ, quod invisibilia non ideoputari debent non esse, quod per experimentum minimè cognoscantur. Sive de æternitate animæ rationalis.

1. Primi parentibus dubium non erat dari invisibiles creaturas, quoniam illarum alloquio fruebantur.

2. Posteru eorum, qui hoc non experiebantur, capis esse dubium; quod egregia comparatione illustratur.

3. Probat autem ex libro Ecclesiastæ, substantias invisibiles, & vitam aliam, ista visibili meliorem.

4. Probat idem ex gradibus rerum.

5. Item experientia ipsa animæ rationalis, quam nemo dubitat esse in corpore vivo, licet ipsam non videat.

6. Præterea ex ipsa Dei natura, quæ cum sit invisibilis, non decuit eam carere invisibilitibus ministris.

7. Tandem experientia rerum visibilium, quæ non videntur nisi per invisibilia.

1. Primi parentes

Postquam * de paradisi gaudijs (culpâ exigente) expulsus est primus humani generis

parens, in hujus cæcitatæ atque exilij, quam patimur, venit ærumnam: quia peccando extraxit semetipsum fufus, jam illa cælestis patriæ gaudia, quæ prius contemplabatur, videre non potuit. In paradiso quippè affluerat homo verbis Dei perfusi, beatorum Angelorum spiritibus cordis munditiâ & celitudine visionis interesse; sed postquam huc cecidit, ab illo, quo implebatur, mentis lumine recessit.

Excujus videlicet carne nos in hujus exilij cæcitate nati, audimus quidem cæcitem esse patriam, audimus ejus cives Angelos Dei, audimus eorundem Angelorum socios spiritus iustorum & peccatorum sed carnales quique, quia illa invisibilia per experimentum scire non valent, dubitant, utrumne sit quod corporalibus oculis non vident. Quæ nimirum dubietas in primo parente nostro esse non potuit: quia exclusus à Paradisi gaudijs, hoc quod amiserat (quia viderat) recolerebat. Hi autem sentire vel recolere audita non possunt: quia eorum nullum (sicut ille) saltem de præterito experimentum tenent. * Ac si enim prægnans mulier mittatur in carcerem, ibique pariat puerum, qui natus puer in carcere nutriatur & crescat, cui forsalsè mater quæ hunc genuit, solem, lunam, stellas, montes, campos, volantes aves, currentes equos nominet; ille verò, qui est in

in carcere natus & nutritus, nihil aliud quam tenebras carceris sciat, & hæc quidem esse audiat, sed quia per experimentum non novit, veraciter esse diffidat: ita in hac exilij sui cæcitate nati homines, dum esse summa & invisibilia audiunt, diffidunt an vera sunt, quia sola hæc infima, in quibus nati sunt, visibilia noverunt. Vnde factum est, ut ipse invisibilium & visibilium creator, ad humani generis redemptionem Unigenitus Patris veniret, & spiritum ad corda nostra mitteret; quatenus per eum vivificati crederemus, quæ adhuc scire per experimentum non possumus. Quotquot ergo hunc spiritum hereditatis nostræ pignus accepimus, de vita invisibilium non dubitamus. Quisquis autem in hac credulitate adhuc solidus non est, debet proculdubio majorum diffidis fidem præbere, eisque jam per Spiritum sanctum invisibilium experimentum habentibus credere: quia & stultus est puer, si matrem idè æstimet de luce mentiri, quia ipse nihil aliud quam tenebras carceris agnovit.

3. * Concionator noster (scilicet Ecclesiastes) velut ex mente infirmantium humanæ suspitionis sententiam proponit, dum dicit: *Vnus interitus est hominis & jumentorum, & aqua utriusque conditio; sicut moritur homo, sic & illa moriuntur: similiter spirant omnia, & nihil habet homo jumento amplius.*

*Dari vitam visibili meliorem atq; adeo substantiam nvisibiles, docet Ecclesiastes: Eccl. 3. *Loquitur de*

Qui tamen ex diffinitione rationis suam postmodum sententiam protulit, dicens: *Quid habet amplius sapiens à stulto? & quid pauper, nisi ut pergat illuc, ubi est vita?* Qui igitur dixit, *nihil habet homo jumento amplius*, ipse rursus diffinivit, quia habet aliquid sapiens, non solum amplius à jumento, sed etiam ab homine stulto; videlicet *ut pergat illuc, ubi est vita*. Quibus verbis primum indicat, quia hic hominum vita non est, cum esse alibi testatur. Habet ergo homo hoc amplius jumentis, quia illa post mortem non vivunt, hic verò tunc vivere inchoat, cum per mortem carnis hanc visibilem vitam consummat.

* Homo sicut in medio creatus est, ut esset inferior Angelo, superior jumento: ita habet aliquid commune cum summo, aliquid commune cum infimo: immortalitatem scilicet spiritus cum Angelo, mortalitatem verò carnis cum jumento, quousque & ipsam mortalitatem carnis gloria absorbeat resurrectionis.

PETRUS. * Quodam Fratrem moriente præsentem me fuisse contigit. Qui repente dum loqueretur, vitalem emisit flatum: & quem prius mecum loquentem videbam, subito extinctum vidi: sed ejus anima utrùm egressa sit an non, non vidi. Et valdè durum videtur, ut credatur res esse, quam nullus valeat videre. GREGORIUS. Quid mirum,

Enchiridij Parvulor. Lib. 2.

nudò B. Gregorius lib. 4. Dial. cap. 4. ex verbis Ecclesiastæ seu Concionatoris cap. 3.

4. Ex gradibus jumentis, hominis & Angeli. * Hæc dicit B. Gregorius eodem lib. 4. cap. 3.

5. Experientia animæ rationalis quam tantum non videmus in corpore. * Hæc posert Petrus iuterlocutor eodem

Anchiri-
dij Par-
vulorū.
Lib. 2.

lib. 4.
cap. 5.
& mox
respon-
det Gre-
gorius.

Perre, si egredientem animam non vidisti, quam & manentem in corpore non vides? Nunquid modò cum mecum loqueris, quia videre in me non vales animam meam, idcirco me esse exanimem credis? Natura quippè animæ invisibilis est; atque ita ex corpore invisibiliter egreditur, sicut in corpore invisibiliter manet.

6.

*De natura
rei Dei in
visibile,
qui etiam
assignan-
di sunt
ministri
invisibi-
les;*


Non quidem subtiliter, sed solerter dico: quia sicut vis animæ vivificat & movet corpus, sic vis divina implet quæ creavit omnia: & alia inspirando vivificat, alijs tribuit ut vivant (vitâ scilicet vegetativâ;) alijs verò hoc solummodò præstat ut sint. Quia verò esse non dubitas creatorem & regentem, implementem & circumplectentem, transcendentem & sustinentem, incircumscriptum atque invisibilem Deum: ita dubitare non debes, hunc invisibilia obsequia habere. Debent quippe ea quæ ministrant, ad ejus similitudinem tendere cui ministrant: ut quæ invisibili serviunt, esse invisibilia non dubitentur.

Hæc autem quæ esse credimus, nisi sanctos Angelos & Spiritus justorum? Sicut ergò motum considerans corporis, vitam animæ manentis in corpore perpendis ab imo; ita vitam animæ exeuntis è corpore perpendere debes à summo: quia potest invisibiliter vivere, quam oportet in obsequio invisibilis Conditoris manere.

Nulla visibilia nisi per invisibilia videntur. Ecce enim cuncta corporea oculus tui corporis aspiciat: nec tamen ipse corporeus oculus aliquid corporeum videret, nisi hunc res incorporea ad videndum acueret. Nam tolle mentem quæ non videtur, & in casum patet oculus qui videbat. Subtrahe animam corpori, remanent proculdubidò oculi in corpore aperti. Si igitur per se videbant, cur discedente anima nihil vident? Hinc ergò collige, quia ipsa quoque visibilia non nisi per invisibilia videntur.

* * *



PIÆ PRÆCATIONCVLÆ
ET DOXOLOGIÆAD DEUM
DEIPARAMQVE VIRGINEM
MARIAM.I.
AD DEVM.*Oratio Dominica.*

*Oratio
Domini-
ca à Do-
mino Iesu
d' Bata
Matth
cap. 6.*

PATER noster, qui es in cælis: sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos à malo. Amen.

Alia Precatio.

*Offertorium
tri aster-
no Filii,
& cor ac
merita
eius.*

OPIA Pater cælestis, miserere mei vilissimi vermiculi. Ego in plenam expiationem atque sa-

tisfactionem pro omnibus peccatis, excessibus ac negligentijs meis, & pro peccatis totius mundi, offero tibi sacratissimum cor Unigeniti tui, sanctissimamque conversationem, passionem & mortem ejus. Tibi, eidemq; Filio tuo Domino meo Jesu Christo, ac Spiritui sancto, uni Deo, honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Salutatio ad IESVM.

AVE dulcedo cordis mei, & vita animæ meæ Jesu Christe fili Dei, Rex æternæ gloriæ, qui incarnatus, passus, & mortuus fuisti pro me: benedictus tu in sæcula, & benedicta dulcissima Genitrix tua Virgo Maria. Ablue me, quæso, pretioso Sanguine tuo, & ab omni peccato emunda, meritisque ac virtutibus tuis exorna, ut tibi placeam. Amen.

*Quædam
allocutio
& petitio
ad dul-
cissimum
IESVM.*

Item

Oratio
ad
Deum
Deipa-
rani.

Item ad IESVM.

Oratiarū
actio pro
tota Chri-
sti vita
& passio-
ne sibi
impensa.

Ecce fasci-
culus
myrrha
collectus
ex omni-
bus labo-
ribus &
doloribus
vitae &
mortis
dulcissi-
mi IESV.

ADoro te benignissime Do-
mine IESU CHRISTE, &
gratias ago tibi, sicut possum
ex intimis medullis animæ meæ,
pro universis beneficijs inexhau-
stæ bonitatis tuæ: gratias ago pro
omnibus quæ pro salute mea fa-
cere, loqui & tolerare voluisti.

Gratias ago, quod tu pijs-
simus Redemptor meus dignatus sis pro
me incarnari, & in frigoris aspe-
ritate à Maria Virgine nasci, pan-
niculis infantulus involvi, fasci-
colis stringi, in præsepio super
fœnum vagiens reclinari, uberi-
bus virgineis lactari, octavo à na-
tuitate tua die circumcidi, varijs
laboribus & ærumnis juvenis fa-
tigari, crebris persecutionibus &
convitijs infestari, tædio mœrore-
que gravissimo affici, sudore san-
guineo præ vehementia anxietati-
tum suffundi, ab iniquis irreve-
renter comprehendi, protervè li-
gari, ignominiosè abduci, falsò
accusari, injustè damnari, fœdè
conspui, alapis & colaphis inhu-
maniter cædi, facie indecenter ve-
lari, contumelijs & illusionibus
vexari, coram profano iudice sitti,
veste ridicula velut amens indui,
impiè contemni, nudus ad co-
lumnâ vinculis adstringi, fla-
gris crudeliter conscindi, proprio
sanguine per rotum corpus rubri-
cari, vestimento purpureo in
majus opprobrium contegi, spinis
coronari, nugatoriè salutari, a-

rundine percuti, pondere crucis
premi, amarissimo potu myrrha-
tifellitiquè vini affligi, in cruce
atrociter extendi, diris clavibus ma-
nus & pedes configi, blasphemijs
impeti ac tandem miserabiliter
inter latrones pendens ac vehe-
mèter sitiens aceto gustato mori.

Gratias ago pro universis de-
pressionibus ludibrijs, tunctioni-
bus, plagis, doloribus & angus-
tijijs tuis: gratias ago pro effluo-
ne pretiosissimi Cruoris, qui è sa-
cro sanctis Vulneribus tuis largi-
ter profluxit, & pro separatione
præcellentissimæ animæ tuæ ab
incontaminato corpore tuo.

Rogo te, Domine, & obsecro
per istas miserationes tuas, ut om-
nes peccatorum maculas quas
contraxi, misericorditer deleas,
& me ac ceteros fideles tuos, præ-
cipueque eos qui meis orationi-
bus specialiter commendati sunt,
perfectè purifices, sanes, illumi-
nes, & ad vitam æternam perdu-
cas. Amen.

Alia precatio ad IESVM.

O Spes, refugium, & salus mi-
serorum, Jesu! miserere mei.
O pax, gaudium & dulcor electo-
rum Jesu! lætifica me. O lux
pulchritudinis immensæ! Ani-
mam meam tuis illustrationibus
irradia, tuis influxibus pasce ad
gloriam nominis tui. Tribue,
Domine, ut nulli rei visibili per
inordinatum affectum alliger, sed
omnia transitoria perfectè con-
temnam,

INSTRUCTIO VITAE ASCETICAE.

temnam, cælestia votis ardentibus concupiscam, te Deum meum summum atque unicum bonum meum super omnia æstuanter diligam. Amen.

Doxologia Rhythmica
Ad IESVM.

*Ad Vultu-
nera ro-
sea Chri-
sti Do-
mini.*
SALVE CHRISTI sacer vultus,
Cæsus, conspicuus, inculcus,
Qui mutasti tuum florem,
Pro me versus in pallorem.
Salve caput venerandum,
Totis votis amplexandum,
Quod dira spina prefferunt,
Et undique confixerunt.
Ave carodelicata,
Flagris scissa, fatigata,
Qua pro me pergens ad lethum,
Gustasti fel & acetum.
Ave latus fons dulcoris,
In quo patet vis amoris,
Te saluto cor amœnum,
Cor omnibus bonis plenum.
Manus, pedes perforatos,
Et cruore purpuratos
Corde veneror & ore,
Interno ductus amore.
Tuas, mi JESU, sacratas
Et mirè vernantes plagas,
Nunc inscribe meo cordi,
Vt sim gratus tuo cordi.
In his piè me reconde,
* Et in Vt inde fugam abundè,
æternū laudem Vnde te ferventer amem,
Amen. * Et ad te fidenter clamem. Amen.

Alia Doxologia Rhythmica
Ad IESVM.

OJESU *suavis Domine,*
Culpa pulsa caligine,
Mentem illustra lumine,
Et reple cor dulcedine.
Da mihi te diligere,
Amoris vicem reddere,
Ardenter te requirere,
Et tibi soli vivere.
Tu totus es amabilis,
Totus desiderabilis,
Tu dulce refrigerium,
Dulce cordis solatium.
Mi JESU fac ut sentiam
Tui dulcoris copiam,
Et tandem per presentiam,
Tuam contempler gloriam. Amen.

527 Doxologia ad Deum & Deiparam.

Pia ad IESVM delicia.

II.

AD VIRGINEM DEIPARAM ET SANCTOS.

Salutatio Angelica ad
B. MARIAM.

AVE Maria, gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui, IESUS CHRISTUS, Amen.

Salutatio Angeli ad B. V. Mariam. Luca 1.


Alia Salutatio ad
B. MARIAM.

SALVE fidus clarissimum, unde sortus est Sol iustitiæ & Rex gloriæ, amator ac Redemptor animarum

Salutatio Mariæ Dei.

T t t

marum



Doxolo-
gia ad
Deum &
Deipara-
ram.

marum nostrarum. Nos te, o Virgo admirabilis, nos te Matrem Dei-hominis, Matrem luminis æterni, quã possumus devotione veneramur: tu mentes nostras divinis influxibus pascere, ad gloriam ipsius unigeniti tui. Amen.

*Rursum ad B. MARIAM
Salutatio.*

Invoca-
tur in au-
xilium.

AVE candidum lilium fulgidæ semperque tranquillæ Trinitatis, ave fragrantissima viola divinæ suavitatis, ave vernans rosa cælestis amœnitatis, Virgo Maria, ex qua nasci, & cujus lacte pasci Rex cælorum voluit Iesus Christus splendor paternæ gloriæ. Adesto, o Mater, fragilitati meæ in omni tentatione & necessitate, in omni periculo peccati, & in hora mortis meæ: ut te auxiliante atque protegente merear semper in Domino esse securus. Amen.

Item Precatio ad B. MARIAM.


Patrona
& Advo-
cata apud
Deum.

OMARIA, Mater Dei beatissima, rogo te per sacratissimam incarnationem, nativitatem, conversationem, passionem, & mortem ipsius filij tui Domini mei Iesu Christi, miserere mei, & perfectam veniam atque gratiam mihi impetra. Eja Advocata mea singularis, illos tuos misericordes oculos ad me converte. Adesto mihi fugiter, pia gubernatrix, quamdiu in pericu-

loso mari sæculi hujus navigo, & præcipuè in vitæ præsentis termino: ut te prælucente, te dirigente, te perducente, feliciter perveniam ad portum cælestis Ierusalem, ubi te diligam, laudem & glorificem, per omnia sæcula. Amen.

Alia Precatio ad B. MARIAM.

Miserere mei Domina, miserere mei: quia miseratione cum crevit ab infantia. Magnam miseriam indignissimi peccatoris, sublevet magna atque ingens miseratione pijsimæ Matris. Largire, o benigna, ut illis annumer quos tanquam filios amas, doces, dirigis, foves, ac protegis: quia tu es, & semper eris dulcis spes mea post Dominum, ac dulce solatium animæ meæ. Utinam gratum obsequium tibi præstare possim! Ego hætenus te dignè non colui: pro qua negligentia & offensa mea, offero tibi mellis suum cor Unigeniti tui Iesu Christi. O charum præsidium meum! occurre quærentite, & adjuva confidentem in te. Separa mentem meam ab omnibus quæ sub cælo sunt, faciens illam prægustare mellitas sorbitiunculas jucunditatis æternæ, ad gloriam Dei. Amen.



Doxo-

Doxologia Rhythmica
Ad B. MARIAM.

AVE grata lux dierum,
Ave gemma mulierum,
Qua lactasti Regem regum,
Genitorem filia.

Mundum ornas novo flore,
Præstem gignens miromore:
Virgo manescum honore,
Nova prolis gratiâ.

Dele culpas, ô MARIA.

Placanatumprecepia;

Quia pette patet via

Ad æterna gaudia,

Munda peccatus fœdatum,

Fove, sana, sanctatum,

Et illustra tenebratum,

Mea solvens vincula.

Mater consolationis,

Servum tuum ornas donis,

Spiritalibus bonis,

Replens cordis intima.

Me confirma vacillantem,

Me conserva te laudantem,

Tandemq; perduc letantem

Ad regna caelestia. Amen.

Alia Doxologia Rhythmica
Ad B. MARIAM.

AVE Virgo gratiosa,
Stella sole clarior:
Mater Dei gloriosa,
Favo mellis dulcior.
Tu es illa speciosa,
Quâ nulla est pulchrior:
Rubicunda plus quàm rosa,
Lilæ candidior.

Præsta misellis juvamen,

Reginâ clementia:

Mœrentibus fer solamen,

Aurora lætitiæ.

Prædulcis fons pietatis

Dona nobis veniam,

Et purgatos à peccatis

Duc ad cali patriam. Amen.

Ad quemlibet SANCTVM,
& ad plures SANCTOS
Precatio.

O Beatissime Apostole N. ô Pia ap-
pellatio
Sancti
eujusvis
Patroni.
gloriosissime Martyr Christi
N. ô sanctissime Confessor Do-
mini N. ô dulcissima sponsa Al-
tissimi N. miserere mei. Ego te
saluto, te veneror, te invoco:
ego in augmentum gaudij ac glo-
riæ tibi offero totius boni totius-
que beatitudinis gazophylacium,
cor Jesu Christi dulcissimum.
Ago gratias ipsi Domino Deo
nostro qui te elegit, & in suis be-
nedictionibus prævenit. Adjuva
me, quæso, tuis meritis ac preci-
bus nunc & in hora mortis meæ.
Impetra mihi plenam omnium
peccatorum meorum remissio-
nem, & gratiam sanctam. Ora
ora pro hac Congregatione, &
pro tota Ecclesia Dei, Amen.

Si oratio dirigitur ad plures San-
ctos, prædicta enuntiabuntur plurali
numero.

Tit 2

Ad

Doxolo
gia ad
Deum &
Deipara-
ram.

*Ad proprium ANGELVM
Precatio.*

*Angeli
Custodi
invoca-
tio.*

O Sancte Angele, cui à Domi-
no commillus sum, miserere
mei. Ego te saluto, te veneror,
te invoc: ego in augmentū gaudij
ac gloriæ tibi offero rotius boni
totiusq; beatitudinis gazophyla-
cium, cor Jesu Christi dulcissi-
mum. Ago gratias pro pietatis
tuæ curâ fidelissimâ, quam erga
me indignum demonstrare non
cessas. Custodi quæso, semper
animam meam & corpus meum:
adjuva atque protege me nunc
& in hora mortis meæ. Amen.

mortis illius. & omnia merita dul-
cissimæ Genitricis ejus Virginis
Mariæ, atque omnium Sanctorū
tuorum. Tibi eidemq; Filio
tuo ac Spiritui sancto, uni Deo,
honor & gloria in sæcula sæcu-
lorum. Amen.

*Hæc oblatio tam pro vivis quam
pro defunctis, cum ingenti usitate
sæpius repetitur.*

*Itidem qui Sacramentum Eucha-
ristie sumit, aut sumpsit, vel qui Sa-
crificio Missæ interest, poterit ipsam
adorandam Dominici Corporis Ho-
stiam post consecrationem offerre pro
seipso, aut pro alijs tam vivis quam
defunctis, hoc vel simili modo:*

III.

OBLATIONES
DEVOTÆ.

*Oblatio dignissima tam pro vivis
quam pro Defunctis.*

*Oblatio
ad Pa-
trem.*

O Pie Pater cælestis, miserere
mei [vel N. aut NN.] Ego
in perfectam emendationem at-
que satisfactionem pro omnibus
peccatis meis [vel N. aut NN.]
& in condignam suppletionem
meritorum quæ mihi [vel N. seu
NN.] desunt, offero tibi omnem
charitatem pietatemq; divini
cordis Vnigeniti tui, & omne
exercitium beatissimæ animæ
beatissimiq; corporis ejus, om-
nem quoque fructum sanctissimæ
conversationis, passionis, ac

PIE Pater cælestis, ego in per-
fectam emendationem atque
satisfactionem pro omnibus pec-
catis meis [vel N. aut NN.] &
in condignam suppletionem me-
ritorum quæ mihi [vel N. seu
NN.] desunt, offero tibi hanc
sacrosanctam Hostiam: offero eam
ad laudem nominis tui sempiter-
nam, & ad salutem omnium fide-
lium tuorum vivorum atque de-
functorum.

*O quam presens & efficax reme-
dium adfert hæc cælestis Hostia cum
benignitate mentis oblata!*

*Possit idem Sacramentum offerri
etiam in honorem sive in augmen-
tum gaudij & gloriæ cuiuslibet
SANCTI vel plurium SANCTORUM,
iam in caloglorificatorum: itemq;
in honorem beatorū ANGELORUM,
his aut alijs verbis:*

DOMI-

Alia sa-
era Eu-
charistia
oblatio.

Domine Deus meus, ego in honorem & in augmentum gaudij, ac gloriæ sancti N. [vel Sanctorum NN.] offero tibi hoc vivificum Sacramentum Corporis & Sanguinis Vnigeniti tui: offero illud ad laudem nominis tui sempiternam, & ad salutem omnium fidelium tuorum, vivorum atque defunctorum. Amen.

Si oblatio dirigitur ad Personam Filij, omittetur in ipsa oblatione hæc dictio, Vnigeniti.

Commendatio & oblatio actuum vel exercitiorum atque tribulationum.

Oblatio
afflictionum
aut tri-
bulationum.

PIE IESU, ego has actiones meas, hoc exercitium, has preces, hæc quæ feci, commendo mellifluo cordi tuo emendanda & perficienda: tibi quæ offero in unione sanctissimarum actionum vel exercitiorum, aut orationum tuarum, & in unione illius admirabilis amabilisque amoris tui quo redemptionem nostram peregisti: offero ea ad laudem nominis tui sempiternam, & ad salutem omnium fidelium tuorum vivorum atque defunctorum. Amen.

Ipse Christus Jesus multum à nobis expetit, ut pia opera atque exercitia nostra, quæ ex se imperfecta sunt, cordi eius emendanda perficiendaque commendemus, si non verbis, saltem animi voto.

Oblatio ad versitatum fiet in unione Passionis Dominica, hoc vel consimili modo:

Doxolo-
giæ ad
Deum &
Deipara-
ram.

Domine IESU, ego hanc tribulationem, hoc impedimentum, hæc gravamina, has calamitates meas, offero tibi in unione eorū quæ tolerasti pro me, in unione sanctissimæ Passionis tuæ offero ea ad æternam laudem nominis tui, & in expiationem omnium peccatorum meorum, [vel ad salutem meam, aut N. seu NN.] atque totius Ecclesiæ. Amen.

Alia in
unione
passionum
Christi.

Item ad PATREM sic:

PIE Pater cælestis, ego hunc mœrorem, hanc afflictionem, hunc dolorem meum, omnia quæ me gravant, offero tibi in unione sacratissimæ Passionis dilectissimi Filij tui, ad æternam laudem nominis tui, & in expiationem omnium peccatorum meorum [vel, ad salutem meam, aut N. seu NN.] atque totius Ecclesiæ. Amē.

Alia ad
Deum
Patrem.

Possunt similiter pia aliorum opera & tribulationes commendari atque offerri Domino pro illis ipsis quibus eas tolerant, sive tolerarunt.

IV.

ORATIO DULCISSIMA

*Alternis Rhythmis & Laudibus directa nunc ad DEUM-hominem.
nunc ad VIRGINEM-
Matrem.*

SUMMI summe tu Patris Vnice,
Mundi sator, & rector fabricæ,
T t t 3 Pietra-

Doxolo
gia ad
Deum &
Deipa-
sam.

Pietatis affectu deicæ,
Peccatores afflictos respice,
Deus- homo.

Summa summi tu Mater filij,
Clavem nostri tenens auxilij:
Fove tui lacte consilij
Peregrinos hujus exilij,
Virgo- Mater.

Consolare, ô summe Domine,
Qui tuo sunt redempti Sanguine,
Qui pro mundi tollendo crimine,
Hæc duo fers in tuo nomine,
Deus- homo.

Consolare, ô summa Domina,
Sicientes tua solamina:
De qua Sola felice femina
Prædicantur hæc duo nomina,
Virgo- Mater.

O figura Patris substantiæ!
Tu es splendor paternæ gloriæ,
Tu es verum lumen justitiæ,
Plenitudo totius gratiæ,
Deus- homo.

O Regina regni Davidici!
Tu es virga floris Dominici,
Tu es arca panis Angelici,
De qua Sancti merentur refici,
Virgo- Mater.

Virtus Patris & sapientiæ,
Suaviter disponens omnia:
Tibi cum Patre una substantia,
Æquus honor, eadem gloria,
Deus homo.

Stella maris, Regina sæculi,
Tu es Mater illius Parvuli,
Quem adorant omnes & singuli,
Qui est vita fidelis populi,
Virgo- Mater.

O Sanctorum Sancte mirabilis,
Toti mundo desiderabilis,

Homō potens, & Deus humilis!
Non est tibi nec erit similis,
Deus- homo.

O Sanctarum sola sanctissima,
Sola partu tanto dignissima;
Vt de tua carne mundissima,
Nasceretur majestas maxima,
Virgo Mater.

IESU CHRISTE fons indeficiens
Fons humana corda reficiens,
Te suspiro, te solū sitiens,
Tu solus es mihi sufficiens,
Deus- homo.

O unicum decus virgineum,
Thronū sedens super ætheretū!
Nomen tuum unguentū melleū,
Liquefacit affectum ferreum,
Virgo- Mater.

Summum bonum, plenū dulcedine,
Verum lumen de vero lumine:
Solo cujus audito nomine,
Satiatur mira pinguedine,
Deus homo.

Summi boni reclinatorium,
Dulcis rivi, dulce cellarium,
Quod indulcans dulcedo dulciū
Prælegit sibi in proprium,
Virgo Mater.

Patrum Pater celsior ceteris,
Reparator humani generis,
Sumpta carne pro nobis miseris,
Mulieris de carne pauperis,
Deus homo.

Mater Matrum, & Virgo virginū,
Apotheca salutis hominum,
Carne pura capiens Dominum
Initij nesciens terminum,
Virgo Mater.

Audi, Precor, ô qui das gratiam,
Peccatoris hujus miseriam:
Da per tuam misericordiam,
Pecca-

INSTRUCTIO VITÆ ASCETICÆ

533

Doxolo
giæ ad
Deum &
Deipha-
ram.

Peccatorum meorum veniam, Deus-homo.	Coram IESU benigna clamita, Ut & mea remittat debita, Virgo-Mater.
Audi, precor, ô plena gratia, Peccatoris hujus suspiria: Et pro tua milericordia, Deo meo me reconcilia, Virgo-Mater.	Esto nobis Pater propitius, Quorum frater es atque socius: Te laudamus, te benedicimus, Adoramus, & semper colimus, Deus-homo.
Tibi, pie, fac beneplacitum Peccatoris istius gemitum, Solvens mei rearus debitum, Quia nullum prætendo meritum, Deus-homo.	Esto nobis Mater propitia, Quorum soror es atque socia: In tuarum laudum præconia, Corda nostra fac voluntaria, Virgo-Mater.
Tibi, pia, fac acceptabilem Peccatoris hanc vocem flebilem: Reddens mihi Deum placabilem, Ne se præster in inexorablem, Virgo-Mater.	Benedicte creator omnium, Benedicas mentes fidelium, Nomen tuum benedictium, Mortis tuæ per beneficium, Deus-homo.
O intactæ fili puerperæ, Audi planctus animæ miseræ, Quæ peccati jacens in pulvere, Ut jumentum dolet putrescere, Deus-homo.	Benedicta in mulieribus, Benedicas benedictibus, Quem lactasti tuis uberibus, Qui dat escam esurientibus, Virgo-Mater.
O intacta Virgo puerpera, Ad te clamat mens mea misera, Quæ nefanda ruit ad scelera Ab ætate nunc usque tenera, Virgo-Mater.	Laus & honor & jubilatio, Decus, virtus, & benedictio, Benedicta sit incarnatio, Et mors tua, & resurrectio, Deus-Homo.
Pie Pater, errantem corrige, Piam manum labenti porrige, Iam de luto me facis erige, Et in viam justorum dirige, Deus homo.	Benedicta sis candens lilium, Nos liberans post hoc exilium: Ut laudemus Patrem & Filium, Qui te fecit fontem dulcedinum, Virgo-Mater.
Me famulum errantem visita, Pio corde de me recogita:	



HLVDO-

HLUDOWICI BLOSII
INSTRVCTIONIS
VITÆ ASCETICÆ

P A R S T E R T I A.

S I V E

SEPTEM EXERCITIA
VEL MEDITATIONES

RELIGIOSIS MAXIME TYRONIBVS
ACCOMMODATÆ,

QVIBVS HOMO IN TIMORE DEI
ET BONA SANCTAQVE VITA CITO
STABILIRI POTEST.

P R Æ F A T I O.



*Si vis in timore Dei confirmari, & in bona sancta-
que vita stabiliri, sequentes Meditationes humili
constantiq; animo aggredieris, & ex ordine com-
plebis, etiamsi natura tua repugnare videatur:
quas etiam non leviter aut negligenter percurres,
sed cum mora & diligentia ruminabis, totumque
animum & conatum internum ad illas applicabis,
singula puncta diligenter examinando atque discutiendo, & illa menti
imprimendo.*

Et qui

Tempus
certum
medi-
tandi.

Et quidem in qualibet Meditatione habebis saltem ad tres : & quolibet die duas vel tres horas (si commodè fieri potest) aut etiam plures, in Meditationis exercitio expendes ; relinquens interim alia privata & spontanea exercitia.

Tempus
incertum.

Sed & per totam diem, sive progrediaris, sive quiescas (quando non debebis alia cogitare) studebis in memoria habere, atque animo revolvere ea, quæ ad meditationem illius diei spectant.

Ordo.

Non est necessè, nec expedit, ut qualibet horâ, exercitio meditationis deputatâ plures divisiones absolvas : sed suffecerit unicam divisionem, vel duo, tria ve, seu quatuor puncta assumere ad meditandum.

Repeti-
tio.

Vbi ipsas Meditationes eo modo finieris, rursus illas repetes, persistendo in unaquaque earum saltem duobus diebus : qua repetitione completa, continuabis adhuc hæc exercitia ad duos menses, vel diutius, sed tunc poteris Ferijs secundis assumere primam Meditationem ; Ferijs tertijs secundam ; Ferijs quartis, tertiam ; Ferijs quintis, quartam ; Ferijs sextis, quintam ; Sabbatis, sextam ; Dominicis, septimam. Postea sedulo exercebis te in vita & passione Christi, pro tua devotione.

Perseve-
rantia
in pijs
exerci-
tjis sal-
vâ sem-
per obe-
dientiâ
& chari-
tate.

Per omnem vitam tuam retinebis pia & congrua exercitia, quæ in te bonum propositum veramque devotionem alant. Cavebis autem, ne unquam præferas ipsa exercitia tua sanctæ obedientiæ, vel charitati fraternæ, seu voluntati divinæ. Necessè enim est, ut etiam in istis discas teipsum abnegare.

Quid in
aridita-
te facie-
dum.

Si in hoc spirituali studio te durum aridumque senseris, & grave animi tædium passus fueris ; non tamen ob id deseres utile & salutarum exercitium, sed humiliter ad honorem Dei facies quod in te est. Sæpè fortè apud teipsum ita cogitabis : Cur spiritum meum in istis affligo, cum in alijs longè melius & jucundius versari possim ? Sed hujusmodi cogitatione neglecta, debebis perseverare in inceptis ; credereque Deo gratissimum esse, ut modò in istis occuperis.

Quid in
stati
conso-
latio-
nis.

Si Deus dederit tibi devotionis & lacrymarum gratiam, non propter hoc tibi placebis, nec aliquid te esse existimabis, neque alios despicias ; sed semper in sancto timore, & cordis humilitate te continebis, judicans omnibus donis Dei indignum te esse.

Collo-
quia in-
terna.

Poteris in exercitio, alloquendo animam tuam, excitare teipsum: velut si dicas: O anima mea! evigilemus, & attentius consideremus, &c. Poteris etiam nunc ad Dominum Deum, nunc ad beatam Virginem Mariam Dei Matrem, nunc ad alios cæli Cives te convertere, atque ea, quæ animæ tuæ salutaria sunt, postulare.

Mode-
stia &
solitu-
do me-
ditatu-
ro ser-
vanda.

Vt autem uberem fructum ex his exercitijs referas, abstinebis diligenter ab immoderata letitia, à dissolutione cordis, & à risu inani atque inordinato. Talia enim internam recollectionem, compunctionem, & gratiam dissipant, atque extinguunt. Fugies etiam (quantum com-
modè poteris) multiloquium, & solitudinem convenienter coles.

Compo-
sitio
corpo-
ris.

Inter meditandum flectes genua, vel sedebis, aut stabis: servans eum corporis situm, quo te magis iuvvari senseris. Locum secretum, quietum, & talibus exercitijs aptum eliges.

Exor-
dium
Medita-
tionis
ab ora-
tione.

Antequam incipies Meditationem, facto signo sanctæ Crucis, dices hanc Precatiunculam: O Clementissime Domine Deus, miserere mei pauperrimi figmenti tui invocantis te & concede ut omnis intentio, cogitatio, atque actio mea purè ordinetur ad obsequium & laudem tuæ divinæ Majestatis. Amen.

Finalis
oratio.

Finit à horâ Meditationis, leges Orationem Dominicam, cum Salutatione Angelica.

Necessi-
tas exer-
citiorū
spiritua-
lium in
Religio-
s.

Vtinam consuetudo esset in Monasterijs exercere juvenes in istis, antequam Religionem profiterentur, aut certè antequam ad Sacerdotium admitterentur! Ita enim honestas & disciplina monastica facile introduceretur, introductaque conservaretur.



MEDITA-

MEDITATIO I.

De Peccatis.

1. Peccati macula & turpitud.
2. Avertit à Deo, convertit ad creaturas.
3. Peccatorum multitudo.
4. Circumstantia aggravantes.
5. Quanto odio Deus peccatum prosequatur.
6. Affectus contritionis.

rem vanarum caducarumque creaturarum convertisti; atque ita te gratiâ quidem illius indignum, dignum verò æternis supplicijs fecisti.

Meditationes pie.

Unde meritò te ipsum plange, & mala, quibus Dominum tuum offendisti, internis vel etiâ externis lacrymis deflere studebis.

Deplo-
randum;

DIVISIO I.

1. *Macula
peccati.*



COGITA, quòd anima tua fuit facta à Deo nobilissima atque pulcherrima: sed tu eam, iniquè ac negligenter vivendo, inhonestissimè defædasti, & vilem, sordidam atque abominabilem reddidisti. Nam turpitudò peccati omni turpitudine visibili major est.

*Pana
reatus.*

Et reverà, tanta est enormitas mortalis peccati (cui æterna damnatio debetur) ut jure nos ipsos pro uno, etiam minimo tali crimine, omnibus diebus vitæ nostræ usque ad pulverem, sub ipsis quoque brutis animalibus, deprimere deberemus.

DIVISIO II.

2. *Avertit
à sine ul-
timo ad
quem con-
ditus est
homo.*

ERas ad hæc creatus, ut altissimo, dignissimo, benignissimoque conditori tuo obsequium & reverentiam exhiberes, eumque amares & laudares: sed peccando avertisti te ab eo, & ad amo-

DIVISIO III.

IGitur recogita, sicut potes, in amaritudine animæ tuæ, omnia graviora peccata, quæ à prima ætate tua in hanc usque horam, operibus, verbis, cogitationibus & omissionibus commisisti, ac si mox de eis exactam confessionem coram Sacerdote facturus esses.

3. *Multitu-
do & var-
ietas pec-
catorum.*

Non tamen diu imagineris peccata carnis, quæ perpetrasti: ne talis imaginatio noxiam delectationem pariat.

*Cautela
in recogit-
tando tur-
pia pec-
cata.*

Discurre diligenter de anno in annum, vel de die in diem, seu de tempore in tempus. Recole loca in quibus fuisti, personas cum quibus vixisti, & statum atque officium quæ habuisti. Perpende quoties iteraveris vias tuas pessimas.

*Modus
examinis.*

Ex omnibus peccatis tuis confice tibi quasi quendam fasciculū, ut quoties illum dissolvere volueris, facile videas prioris vitæ tuæ crimina ac scelera; & inde erubescas, compungaris, humilierisque.

*Peccata
contra te
sunt sem-
per,
Psalmus
se.*

Meditationes
piz.

DIVISIO IV.

EXaggera & aggrava ipsa peccata, quibus tu, despicibilis & abjectus homuncio, Creatorem cæli & terræ, Dominumque summæ majestatis inhonorasti & contempsisti, eique infinitam irrogasti contumeliam, & Christum iterum quodammodo crucifixisti: qui tamen tibi semper benignissimè benefecit, teque servavit.

Humilia
se ob
perbam
ingrati-
tudinem.

Illam superbiam, perversitatem & ingratitude tuam benè ponderans, humilia, deijce, & constitue te infra omnes homines totius mundi, atque etiam infra omnes creaturas; æstimando te omnium vilissimum, & indignum quem terra sustineat; dignum vero quem tartarus absorbeat, nisi misericordia Domini subveniret.

DIVISIO V.

4.
Quanto
pere Deum
detestetur
peccatum:

in Lucifero,

Adamo.

COgita, quantum Dominus detestetur & puniat peccata, adè ut plerosque ob unicum peccatum mortale terribili justoque judicio suo in æternum damnaverit; sicut patet in Lucifero, & in Angelis qui ei consenserunt.

Liquet etiam quantum ipse Deus offensus fuerit unica transgressione, quam admiserunt primi parentes nostri Adam & Eva.

Ad ad-
que tenet
pescator

Iam quid de te fieri debuit, qui ipsum sanctissimum Regem gloriæ toties offendisti? Hæc pro-

fundè attendens, argue & judica te ipsum, ne à Domino postea judicaris.

Admirare vehementer, quòd omnia elementa, omnesque creaturæ non insurrexerint adversum te, ut injuriam sui conditoris ulciscerentur. Obstupesce quomodo non se aperuerit terra, ut te vivum deglutiret, & ad infernum transmitteret; quomodo item Angeli sancti tuas iniquitates sustinere potuerint.

DIVISIO VI.

TAndem ex totis præcordijs, dolens, vel dolorem habere desiderans, & Iesum crucifixum ejusque cruenta Vulnera attendens, exclama in corde tuo, & dic hæc aut similia: *Heu! piissime Domine Iesu Christe, Creator, Redemptor, & benefactor meus, ego infelicissimus sic & sic te offendi, atque contepsi; illas & illas iniquitates toties repetivi; ita inobediens & ingratus tibi fui. Sed ignosce mihi, obsecro, propter immensam bonitatem & charitatem tuam, quæ amarissimam Passionem pro me sustinueris.*

Ubi hæc aut similia dixeris cum humilitate, nequaquam desperes, sed plenam & amorosam erga Deum fiduciam resumens, firmiter propone per gratiam ipsius te emendare, & peccata omnia, non solum mortalia, verum etiam venialia & minima vitare, quantum in te erit.

MEDI-

MEDITATIO II. DIVISIO II.

Meditationes
piae.

De Morte.

1. Mortis memoria quam utilis; cuius imaginem etiam caro viva representat.
2. Mori. uti omnia relinquenda, qua viventi ubera.
3. Quam tremenda homini imparato mors supervenit.
4. Demones maxime insidiantur morituro.
5. Formidabile introitus ad particulare iudicium.
6. Hinc collige, emendandam esse vitam nunc, dum licet, ut tunc paratus inveniaris.

1.
Mortis
memoria
vera est
sapien-
tia.

MORTEM præmeditari, & ad eam diligenter se præparare, vera sapientia est. Et tu felix eris, si mortis horam semper & ubique expectans ita vigilaveris, ut nihil in conscientia tua residere permittas, quod tibi jam morituro anxium timorem incutere possit.

Caro vi-
ventis est
viva i-
maco
punit.

Benè tibi erit, si tu, considerans quanta post mortem erit vilitas carnis tuæ, non superbis, neque carnales delectationes festaris. Nam quàm misera, quæso, est in hac vita caro tua! quàm fragilis! quàm plena fordibus, per omnes meatus cum intolerabili foetore affluens perfluentibus, etiam si ipsa exterius pulchra ac nitida appareat! Nimirum rectè corpus tuum modò dici potest saccus stercoris, & omnis spurcicie: brevi verò abjectum, corruptum & putridum cadaver, escæque vermium erit.

COgita ergò, te brevè, imò fortalsè hodiè moriturum, atque hinc in aliam ignotam regionem transiturum: & divitias, gloriam, honores, pompas, voluptates, amicos, vanitates, ceteraque omnia transitoria & caduca, quæ inordinatè amas, vel in quibus modò delectaris, hic relinquiturum.

2.
Mors spoliat omnia
bus seculi bonis.

Et reverà omni die, omni hora, omni que momento, morti & ultimæ horæ vitæ hujus appropinquas. Igitur compone te, ac si jam moriturus esses. Existima vultum tibi pallefcere, os contrahi, visum obtenebrari, halitum deficere, jamque sudorem mortis adesse, qui naturam victam esse testetur.

Mortem
jam te in-
vadentem
cogita.

DIVISIO III.

COgita, quæso, quantus tunc tremor & horror te invadet, quantumque dolebis, si fueris imparatus, propterea quòd te strenuè non emendasti.

3.
Horren-
da mors
imparato.

O quàm breve tibi videbitur esse tempus vitæ tuæ! Apparebit enim veluti somnium, & quemadmodum umbra: cum pependes instare æternitatem, quæ nunquam finietur.

Vita videbitur
somnia.

Desiderabis fortè unam horam ad corrigendum te; sed incertum est utrum impetrabis.

Vna hora
desiderabilis.

VVV 3

Quid

Meditationes
tua.

Tempora
lia omnia
tunc
vilescunt.

Dolor de
vicia
negligenter
transigunt.

Melius
possitas
transiguntur.

Quid tibi proderit superbia tua? Quid proderit, si modò voluntatem propriam, viciosasque animi tui Passiones secutus fueris?

O quàm tristis eris cùm tempus pretiosum amiseris, aut infructuosè expenderis! Quantùm angèris, quòd tam iniquè, negligenter & remisè vixeris! quòd ad vana videnda, audienda & dicenda tã avidus fueris! quòd oblectamenta carnis & sensuum non viriliùs contempseris, quòdque ad tui mortificationem, & ad veram humilitatem charitatemque sectandam, atque ad spiritualia quæque bona congreganda torpueris!

Modò ergò, dum adhuc tempus habes, emenda te, & meliùs sanctiusque vivere stude.

DIVISIO IV.

4^o
Mortis
horam
in
festant
tationes
diabolicæ

COgita, quando anima tua durissimis mortis puncturis stimulata, lucem hujus mundi videre desinet, & alterius sæculi statum, atque ea quæ priùs credere nolebas, internis oculis aspicere incipiet: aderunt cruentæ bestiae, & horribiles dæmonum catervæ, varijs modis insidiantes eidem animæ tuæ, & eam expectantes ut rapiant, si sine vera poenitentia hinc decesserit.

Nunc
ergò
amputanda
omnia
vanitas,

Bonum itaque & salutare est nunc sibi prospicere, prava & inutilia desideria amputare, vana & mundana quæque relinquere,

& ad cælestia æternæque bona amanda & quærenda se totum convertere.

DIVISIO V.

COgita, quomodo ipsa anima tua de corpore egressa, mox statuetur ante tribunal meruendi Judicis, qui te aliter judicare non poterit, quàm opera tua merentur, cùm sit Inmota & incommutabilis æquitas.

In hoc particulari judicio reddere debebis exactissimam rationem de tota vita tua, de omni tempore infructuosè transacto, de omnibus malis operibus tuis, de bonis omisissis, de singulis verbis otiosis, & singulis cogitationibus atque affectionibus inordinatis.

Dæmones proponunt omnia peccata, omnesque negligentias tuas, quæ per poenitentiam deletæ non sunt.

Sententia demùm de anima tua à justo Judice proferetur, quæ nunquam in æternum revocabitur: nam ubi lignum ceciderit, sive ad austrum, sive ad aquilonem, ibi perpetuò manebit; & ad æternam vel salutem vel damnationem pertinebit.

DIVISIO VI.

Vtile tibi est ista sæpè cogitare, ut omni studio vitam tuam corrigas, & pacem cum Deo tuo componas, antequam hinc evoceris. Hoc facies, si sapias.

Nam

Quandiu
miseri-
cor
dia locu
est, ex E-
zechielu
1. 18. &
33.

Nam ipse Dominus Deus mi-
sericordissimus est, & omnes ad
se tempestivè per veram pœni-
tentiam revertentes, benignissi-
mè suscipit: quia non vult mortè
peccatoris, sed magis vult ut pec-
cator convertatur & vivat.

MEDITATIO III.

De universali & finali Iudicio.

1. Terribilis apparatus imminenti jam iudicij
universalis.
2. Status diversissimi eorum, qui ante tribunal
comparebunt iudicandi.
3. Qualem se exhibebit Christus Dominus eudem
conspiciendum.
4. Exactissima discussio peccatorum, & delictor-
um omnium, etiam minimorum, habebitur.
5. Sententia irrevocabilis prolatio, & executio
maximè horrenda.
6. Ita ergo deinceps vivendam, ut illum diem
securus expectes.

DIVISIO I.

I.
Quanti
horroru
fir futu-
rum ju-
dicium.

Nihil horribilius cogitari po-
test, quàm districtum & me-
tuendum illud iudicium, quo
Deus iudicaturus est universos
homines in die novissimo.

Signa tro-
metuda ip-
sum ante
cedentia:
ex Mar-
thæ c. 24
Marc. 13.
Luc. 21.

Hoc universale iudicium signa
valdè terribilia præcedent, nempe
stupendus imperus ventorum, tur-
multuosæ elevationes maris, in-
solitæ agitationes fluctuum, in-
gentes terræ motus, ruinæ ædifi-
ciorum, collisiones rupium, con-
fractiones petrarum, fragores to-
nitruum, obscuratio Solis, Lunæ
& siderum; tristis rugitus & mu-
gitus animalium, miserabilis
arefactio hominum præ timo-
re, &c.

Instante jam die iudicij, mun-
dus divinâ virtute succendetur:
& ita ignis cuncta animalia bru-
ta, cunctosque homines, quos vi-
vos invenerit, perimet atque ab-
sumet.

Veniet autem Iudex supremus
in maiestate sua, & ita intolerabi-
li. Iudex ille formidabilis ve-
niet in nubibus cæli, cum senio-
ribus populi, & millibus Angelo-
rum, cum tota militia cælesti.

Merito itaque Sophonias Pro-
pheta diem illum Domini magnū
& amarum considerans, dicit:
*Dies ira dies illa, dies tribulationis &
angustie, dies calamitatis & mise-
ria, dies tenebrarum & caliginis,
dies nebulae & turbinis, dies tuba &
clangoris.*

Et beatus Hieronymus ait *Sive Tuba
comedo sive bibo, sive aliud quid ago,
semper insonat auribus mentis meae,
illius horribilis tuba sonitus, Surgite
mortui, venite ad iudicium.*

DIVISIO II.

Omnès ergò homines in mo-
mento receptis corporibus
suis resurgent, & Dominus ad ju-
dicandum descendet.

Et electi quidem agiles, specio-
si, potentes, lucidi, gaudentes ac
securi, occurrent iudici venienti,
atque à terra elevati, stabunt in
aëre ad dexteram; reprobi verò
consistent in terra, plumbo gra-
viores, infirmi, deformes, fœtidi
viles, obscuri, & miserrimè tre-
pidantes, atque ad sinistram
erunt.

O quam

Medita-
tiones
piz.

Ignis con-
flagratio-
nis novis-
sima.

Iudicij
adventus
& comi-
tatum.

Dies fi-
nalis hor-
ribilis.
Sophon.
1.

Tuba
surrectio-
num im-
perant.

2.
Resurre-
ctio homi-
num ad
iudicium.

Status ju-
dicando-
rum, Ele-
ctorum.

Reprob-
orum.

Meditationes
piz.

Miserri-
ma tunc
reprobo
vium con-
dicio.

Omnia
patebunt
qua nunc
arcana.

Nullum
effugium.

Angustia
malorum
abvisam
bonorum
gloriam.
Sap. 5.

342
O quam horrendas & inexcogitabiles angustias istis sustinebunt, quam indicibili terrore & pavore concutientur, quando videbunt supra se iratum & inflexilem iudicem, infra se apertum & patens chaos inferni, circa se mundum ardentem, & turbam dæmonum accusantem, intra se conscientiam ream & urentem.

Omnia eorum peccata & cordis arcana patebunt, tam hominibus quam Angelis, universa.

Ipsi iniqui quærent faciem ab ira vultus iudicis avertere, sed non poterunt.

Qui etiam cernentes justorum gloriam, turbabuntur timore horribili; & præ angustia spiritus gementes, dicent: Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum. Nos insensati vitam illorum estimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos fors illorum est.

DIVISIO III.

3.

Vulnera
sua exhibebit
Christi
sua bonis
& malis
aspicienda.

Exprobra-
bit impijs
beneficia
sua.

Christus Dominus ostendet cunctis Vulnera sua ineffabili decore fulgentia: quæ justis quidem dulcissimam consolationem, impijs verò horrendam confusionem adferent.

Ipse Christus omnibus reprobis & ingratis terribiliter tunc improperabit Incarnationis Passionisque suæ beneficia: & illi cum incomprehensibili dolore agnoscant eum, quem parvipendere &

spernere potius, quàm timere ac colere voluerunt.

DIVISIO IV.

Nullum malum tunc indiffusum aut inultum remanebit: sed fiet districta examinatio omnium operum, verborum, cogitationum, atque affectionum tuarum.

Non minor est iustitia iudicis, quàm ejus misericordia: utraq; infinita est. Ergò rationem reddere debetis de omni tempore tibi concessio, de spiritualibus donis neglectis, de bonis temporalibus malè expensis, de cibo, potu & eleëmofynis indignè absumptis.

Reddes rationem non solum pro teipso, verùm etiam pro illis, quibus unquam malum exemplum præbuiisti, & occasionem malè faciendi dedisti.

Sed & pro omnibus peccatoribus atque paganis gravis forte à te exigetur ratio, propterea quòd pro eorum conversione fideliter non oraveris.

Maximè verò pro illis rationem redditurus es, qui tuæ curæ specialiter commissi sunt.

Innumera peccata, quæ non advertis, neque agnoscis, tunc contra te quali de insidijs erumpent, & tibi obijcientur. Minimæ cogitationes, ac minutissima verba, quæ apud te viluerunt, nec reputantur, tunc discutientur.
Hinc

Hinc orat Psalmista : *Ab oculis
meis munda me Domine.*

DIVISIO VI.

Medita-
tionis
piæ.

DIVISIO V.

Atende jam durissimam & irrevocabilem justi & irati Judicis sententiam, quam feret in omnes reprobos. Nam ubi dixerit his, qui à dextris erunt, *Venite Benedicti Patris mei, &c.* dicet his, qui à sinistris erunt, *Ite maledicti in ignem æternum.* O verbum asperum ! verbum omni horrore & amaritudine plenum.

Prolatâ hac damnationis æternæ sententiâ, mox terra cum terribili fragore absorbebit impios; & ignis ille, quo mundus conflabit, eos involvens cum tenebris, & cum omni immunditia ac fœtore totius mundi detrudet in tartarum, ibi perpetuè cruciandos.

Ipsis autem in profunda gehennæ ruentibus, ascendent electi gloriose in cælum, eisdem reprobis id ipsum cernentibus, & ad ampliorem suæ miseriæ calamitatem, nunquam obliviscentibus.

O contemptores legis Dei ! pensate, obsecro, profundius, quam acerbum erit, ita separari à societate Dei, & beatæ Mariæ Virginis, atque omnium civium cælestium !

Ubi infernus impios damnatos receperit, claudetur, obstrueturq; supernè sicut olla, & inde nullus unquam dæmon aut homo egredietur.

TU igitur, ut inenarrabilem hanc miseriam, confusionem, horrorem & angustiam evadere possis, dum tempus est misericordiæ, stude Deum placare, & ei placere.

Defle, & confitere humiliter, ac sincerè peccata tua. Non abscondas modò à Sacerdote vicario Christi, quod latere cupis in illo tremendo iudicio.

Corrige vitam tuam totis viribus. *Declina à malo, & fac bonum.* Expende tempus utiliter. Fuge vana & inepta gaudia : mortifica, quantum potes, vitiosas animi tui passiones & affectiones.

Nunc sapienter time, ut tunc feliciter securus sis.

MEDITATIO IV.

De pœnis inferni.

1. Imaginaria representatio gehennæ ignis fœdæ receptaculi damnatorum apud inferos.
2. Immanitas suppliciorum gehennalium.
3. Pœna externa & dæmonum insultantium societas.
4. Pœna interna, & vermis conscientia in æternum vivens & rodens.
5. Pœnarum interminabilis duratio.
6. Diligenter in Religione vive, ut hæc evitare merearis.

DIVISIO I.

Sicut inenarrabilis est beatitudo Sanctorum in cœlo, ita prorsus ineffabilis & incomprehensibilis est calamitas reproborum in inferno.

W w w

T u

Se.
Senten-
tia pro-
nuntiatio
terribilis,
testis
Matth.
25.

Ejundem
executio
sine dilata-
tione.

Et gloria
gloria.

Amara
separatio
damnato-
rum à
beatiss.

Inferni
perpetua
claustra.

6.

Miseri-
cordia
tempus
adhuc est

Stude
nunquam
contritioni
& confes-
sioni.

Et emenda-
tioni,
monente
Davide
Psalmi
36.

Sapienter
timor.

Te
Miseria
damnato-
rum.

Meditationis piz.

Fornax inferni.

Sedes deperationis & horrois ex Apocalypso: Cap. 16.

Tu jam imaginare locum subterraneum, & chaos horribile: aspice fornacem ingentem, totam sulphure & pice accensam, terribiliterque ardentem, tenebrosam, fumosam, foetidam, hominibus & daemionibus plenam.

Ibi sempiternus horror, & perennis desperatio; ibi stridor dentium, & ingens ululatus, perpetuaque blasphemia; ibi damnati, praecerbitate dolorum, linguas suas manducant, ac Regi caeli maledicunt.

DIVISIO II.

Instrumentum poenae sensus.

COgita ibi talem ignem & ardorem, taleque frigus esse, ut omnis ignis & calor, omneque frigus hujus saeculi, in comparatione illius ardoris & frigoris, nihil sit. Ibi ergo de intolerabili calore ad intolerabile frigus transire coguntur. Ibi dixissime coquantur, & affantur.

Universalis cruciatu omnium sensuum.

Tormenta amarissima sentiunt in quolibet sensu, & quolibet membro. Visus eorum semper conspicit tetras & horrendas daemionum facies. Auditus assidue percipit planctus & voces vociferantium: Vae, vae, vae! ut quid creati & nati sumus? Maledictus Deus qui nos fecit. Hoc est carmen quod ibi jugiter resonat.

Balnea, olfactoria, & bellaria damnatorum.

Imaginare ibi vasa plena esse omni spurcitia, videlicet, bufonibus, colubris, putridis cadaverum carnibus, cloacarumque sordibus & stercoribus simul com-

mittis: atque in illa vasa impios profus demergi, & eos invitos odorari, tangere, edere, ac bibere foetidissimam illam misturam. Nihil tu potes imaginari tam abominabile, & grave, quia ibi sint abominabiliora & graviora.

Ibi unusquisque plus punitur in illis membris, per quae quis plus peccavit.

DIVISIO III.

IBI daemones insultant ijs quos torquent, & quos socios habent, atque in aeternum habebunt, dicentes: Ubi nunc divitiae, ubi honor, ubi gloria, ubi voluptas, ubi deliciae, ubi vanitates vestrae sunt?

Quis tam durus ac demens est, qui ex horum consideratione non concipiat utilem timorem? & qui pravam negligentemque vitam suam non emendet?

Certe, quidquid affligere, quidquid horrore & abominationi esse potest, semper videbitur, audietur, & sentietur in inferno.

DIVISIO IV.

COgita adhuc interiores damnatorum poenas: nam ipsi visione Dei aeternaliter privati sunt, quod sane quavis alia poena illis gravius est. Nunquam cernent beatam illam civitatem Jerusalem caelestem.

Deus eos abiecit, & sempiternam oblivioni tradidit, nec illum unquam miserebitur.

Vasa Romae enim

INSTRUCTIO VITÆ ASCETICÆ

14

enim sunt iræ, in quibus rigor & severitas divinæ iustitiæ ostenditur.

DIVISIO VI.

Meditatione piz.

Ferme assuetudine

Vermis conscientia eorum nunquam morietur, sed incessanter illos rodet atque arguet, propterea quod ipsi propter tam breve gaudium, & tam momentaneam voluptatem beatitudinem æternam amiserint, æternaque supplicia inveniunt.

Reverentia, & dignitate

O rumenta, rumenta diligenter ipsam poenarum æternitatem. Post mille millia annorum non appropinquabit finis, quia nullus unquam erit finis; sed erit in inferno perpetua omnium malorum aggregatio, & perpetua omnis consolationis elongatio.

Si Religionem ingressus es, debes totis viribus tendere ad perfectionem, debes ducere vitam humilem, puram, & eximie sanctam. Quod si cor sæculare in Religione habueris, & negligentia vixeris, atque in tali negligentia vitam finieris; omnino detrudens ad infernum; vel certe tam acerbos, immanes, & diuturnos cruciatus in Purgatorio sustinebis, ut si jam eos prævidere posses, prorsus præ timore & horrore deficeres.

6.

Etiā ob timorem gehennæ diligentissime in Religione vivanda peccata & quærenda persequi

Ergo nunc, si sapias, sedulam curam geres pro salute animæ tuæ.

Servitium ut vivat

DIVISIO V.

MEDITATIO V.

Pœnitentiæ æternitatem quaerere.

Ecce, talis calamitas merces est eorum qui Deum non timeant, & in peccatis usque ad exitum animæ, sine vera pœnitentiâ perseverant. Nam cum in mortali peccato sit infinita enormitas, propter contemptum immensi Dei; iuste tale peccatum (si pœnitentiâ deletum non fuerit) punietur pœnâ interminabili.

Temporali correctione emendatur.

Tu verò qui adhuc es in tempore gratiæ, relictis vitijs ac vanitatibus, mox revertere ad Dominum Deum tuum, & ipse te recipiet, emundabit sanabitque. Illum time, illi servi, illum ama ex toto corde tuo. Sic enim evades pœnas illas, quæ nunquã finiuntur, nunquam abbreviantur, nunquam minuuntur.

De vita & Passione Christi

1. Christi incarnatio & infantia.
2. Baptismus, jejunium, labores.
3. Cena ultima, agonia in horto, captivitas.
4. Contumeliosa tractatio apud Pontificem.
5. A Pilato ad Herodem ducitur: spernitur & flagellatur.
6. Coronatur spinis. Ecce homo.
7. Crucem vaulat, & in ea extensus clavio affigitur.
8. Cruciatu auctus blasphemis: sitis, mors, sepultura.
9. Fasciculus myrrha: attendenda consideranda.

DIVISIO I.

PECCATUM mundi tolli non potuit, nisi ipse mundi Creator carnem humanam suscipiens, proprio sanguine illud aboleret.

Cur Deus homo.

Cogita igitur quemadmodum Dominus Jesus Filius Dei vivi,

Christi conceptio. Ephes. 2.

W w w 2

Deus

*Meditationes
piz.*

Deus altissimus, propter nimiam charitatem, quã dilexit nos, voluerit de Spiritu sancto concipi, & homo fieri in utero beatæ Mariæ Virginis: ne tu iniquitatibus tuis onnitus descenderes ad infernum.

*Nativitas, & e-
dysatio.*

Deus tuus factus est frater tuus. Natus est tener infantulus, in abjecto stabulo. Involutus est vilibus pannis. Reclinatus est in præsepio jumentorum. Jacuit super scenum & stipulas. Lactatus est uberibus pauperrimæ Matris.

*Circum-
cisio.*

Octavo die à Nativitate sua circumcisus est, & Sanguinem fudit:

*Fuga in
Ægyptum.
Labores
& dolores
querita.*

Deinde fugit in Ægyptum: Atque ita in sacra infantia pueritiaque sua plurimas necessitates & tribulationes sustinuit, cum Maria & Joseph.

DIVISIO II.

*2.
Baptis-
mus.*

Dulcis Jesus, cum esset ferè triginta annorum, humiliter suscepit Baptismum à servo suo Joanne.

*Jejunium
& præ-
dicatio.*

Jejunavit, tentatus est, vigilavit, prædicavit, itineribus, laboribusque fatigatus est,

*Labores
quæta.*

Famem, sitim, frigus, æstum, & innumeras ærumnas, innumerasque persecutiones triginta tribus annis mitissimo corde pertulit: actandem venit Jerosolymam, ut moreretur pro te.

DIVISIO III.

*3.
Cena
ultima*

Dulcis Jesus, cum fixis terræ genibus humiliter lavisset,

linteoque terfisset pedes discipulorum suorum, & instituisset venerabile Sacramentum Eucharistiæ, venit in montem Olivarum. O quàm gravia, quàm indigna, quàm acerba deinceps pro te passus est!

Nam ipse Dominus summæ Majestatis voluit pavere & tristis esse usque ad mortem. Voluit sudore sanguinis suffundi, prævehementia angustiarum quibus premebatur.

Non recusavit à Juda proditore osculari, atque à sceleratis hominibus ignominiosè, tanquam latro, comprehendi, ligari, abduci, trahi, impelli, percuti.

DIVISIO IV.

Dulcis Jesus, Dominus dominantium, dignatus est diram alapam a servo Pontificis accipere.

Dignatus est injustè damnari, sputis scædari, colaphis & alapis cædi, probrosè velari, illudi, & subsannari.

Non est intereà conquestus, nec faciem avertit à conspuentibus, agnus mansuetissimus: sed patientiam docens, seque patientiæ formam exhibens, obmutuit, & non aperuit os suum. Convicia, contumelias, opprobria, & quaslibet injurias in silentio toleravit.

DIVISIO V.

ECCE, dulcis Jesus, Sanctus Sanctorum, consputus & vin-

Etus ducitur ad Pilatum, & coram eo falso accusatur, sed humiliter tacer.

Al Herodem. Mittitur à Pilato ad Herodem: & ab ipso Herode spernitur, albaque & ridicula veste, tanquam fatuus, induitur, atque ita ad Pilatum remittitur.

Flagellatur. Nudatur in prætorio & ad columnam inhumaniter ligatur: flagellisque crudelissimè dilaceratur. Virginea delicataque caro ejus tota livoribus ac plagis deformatur, & ex carivuli pretiosi Sanguinis undique in terram decurrunt.

Nostra laud. O quale & quàm miserandum spectaculum! Verè vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, & livore ejus sanati sumus.

DIVISIO VI.

6. spinæ corona. Dulcis Jesus, Rex Regum, chlamyde coccinea ad majus opprobrium vestitur, spinis coronatur, vulneraturque. Hinc purpureus sanguis in amabilem faciem & collum ejus ubertim defluit.

Asperum arundinum. Ponitur arundo in manu ejus, & ipse nugatoriè salutat ad oraturque; cæditur arundine; iterum conspuitur, & a lapis accipitur.

Accidit. Exhibetur spectandus populo, gestans spineam coronam, & purpureum vestimentum.

DIVISIO VII.

7. Baiulat crucem. Dulcis Jesus, Creator cæli & terræ, attritis lacerisque humeris suis crucem propriam baiulat.

Vinum myrrhatum cum felle mistum in loco Calvarie degustat.

Rursum nudatur, & ex vestimentorum detractione plagæ ejus renovantur.

In cruce inclementer extenditur, & delicatæ manus atque incontaminati pedes ejus duris clavibus transiguntur, compagesque sanctissimorum membrorum illius miserabiliter solvantur.

Purissimus sanguis è Vulneribus sacris, velur è fontibus, largiter profluit.

Eja, pensa, & meditare ista profundius. Attende cruenta & salutifera Vulnera Redemptoris tui, saluta & venerare illa corde devoto.

DIVISIO VIII.

8. Pendet in cruce. Dulcis Jesus amarissimos cruciatus tribus horis sustinuit, pendens in stipite crucis, medius inter latrones.

En, subsannatur, blasphemijque impetitur: sed orat pro blasphemantibus, orat pro crucifixoribus suis.

Mœstæ & afflictæ Matri suæ astanti intinè compatitur, & eam benignè alloquitur.

Gravissima siti æstuans acetopotatur:

Statimque venerandum caput inclinans tradit spiritum. Bonus Pastor ponit animam suam pro ovibus suis. Vivificator omnium moritur pro te.

W w w 3 Postea

Meditatione
piz.
Myrrhatum
vinum.
Nudatur

Crucifigitur.

Sanguis in rivis

Fontes vulnerum.

Pendet in cruce.

Blasphematur.

Compassio Matris & Filij.

Sitis.

Moritur.

Ioan. 10

Meditationes
piz.
adpertia
lateris.
Sepulchra

Posteà latus ejus lanceâ aperitur, & inde sanguis & aqua effluit.

Postremò immaculatum corpus ipsius de cruce depositum, in monumento reconditur, ac sepelitur.

amoris insignia parvi pendunt, passionem Christi recolere non student! Absit à te hæc detestanda cæcitas.

MEDITATIO VI.

De imitatione Christi.

DIVISIO IX.

Fasciculus
myrrha, ex S.
Bernardo
Serm. 43.
in Cantica.
Deum homo
passitur.

9. **H**Abes hic spiritualem myrrhæ fasciculum. Tu eum inter ubera animæ tuæ diligenter reponere.

Dum autem hæc meditaris, inspicere internis oculis dilectum tuum Jesum Christum, non sicut hominem purum, sed eum sicut Deum & hominem, in omnibus quæ fecit ac pertulit, contemplare.

Affectus
hinc educendi,

Considera diligenter humilitatem & patientiam ejus abyssalem, benignitatemq; inestimabilem, & charitatem ardentissimam. Admirare, obstupescere, imitare, compatere, & amoris vicem rependere, sicut potes. Adora, lauda, & glorifica, eique gratias age.

Præsertim,
odiu
vanitatis,
& iniquitatis.

Perpende obsecro, an æquum sit, ut filio Altissimi, summoque Rege gloriæ, pro te vilissimo, tantam abjectionem & ignominiam, tantosq; labores & cruciatu tolerante, tu interim lusibus & jocis, vanitatibus & delicijs, quasi securus, operam des, parum aut nihil de illo cogitans, & negligenter veltiâ iniquè vivens!

Detestatio
ingratorum.

O quàm malè habebunt in notissimo ingrata illa & infelicia corda, quæ tanta beneficia, tanta

1. Duo duces militiam nos post se vocant, diabolus, & Christus Dominus. Virum eliges?
2. Imitare igitur Christi profundam humilitatem,
3. Dulcem mansuetudinem,
4. Paupertatem in omni convictu,
5. Mortificationem sui ipsius perpetuam,
6. Patientiam in victis, & resignationem plenissimam,
7. Charitatem universalem erga omnes;
8. Et quantum potes, te conforma in hunc modum speculo Christi.

DIVISIO I.

ECCË, crudelis, teter, & horribilis princeps tenebrarum diabolus tibi dicit: Audi & sequere me: esto superbus; & neglecto Deo, fac voluntatem tuam propriam, dilige mundum atque ea quæ in mudo sunt, ut mecum crucieris in æternis inferni supplicijs.

Contrà, mitis, serenus, & amabilis Rex gloriæ Christus tibi dicit: Audi, & sequere me; esto humilis, & contempto mundo, abnega voluntatem tuam propriam. Dilige Deum atque ea quæ sursum sunt, ut mecum in æternum gaudeas in cælis.

Hic jam perquire & perpende diligenter apud te ipsum, utrum ex istis duobus audire & sequi debeas. Profectò ratio tua aperte clamat

clamat & ostendit, te debere sequi Dominam Iesum, dulcissimum Creatorem, Redemptorem, amatorem, & benefactorem tuum.

Quod cum ita sit, tu incunctanter ipsi Christo te adijunge, & dic ex animo: Domine Iesu, ego amo- do, spreto diabolo, te Regem meum sequi, imitari, & amare propono, tuâ gratiâ me adjuvan- te.

DIVISIO II.

2. ERGò sicut ipse Rex tuus Iesus Christus, Deus altissimus, se- metipsum humiliavit atque exina- nivit, carnem humanam servique formam assumendo, ex pauper- cula Virgine nascendo, pedes dis- cipulorum lavando, Patri atque hominibus perfectissimè obediendo; ita tu teipsum in omnibus, pro amore ejus, posthac humiliare propones.

Libenter cunctis hominibus te subternes: libenter omnibus in- servies.

Libenter novissimum locum tenebis, cum non sis dignus quem terra sustineat, propter peccata tua & ingratitude tuam.

Libenter vilia & abjecta opera perficies, etsi propterea pudorem aliquem coram hominibus pati deberes.

Libenter & promptè in rebus licitis atque convenientibus obe- dies, non solum Superioribus tuis, sed & æqualibus, atque etiam inferioribus.

DIVISIO III.

ITEM, sicut Rex tuus Chri- stus fuit semper mitis & hu- milis corde, ita tu ad hoc posthac conari debebis, ut asperi vitiosiq; iracundię motus in te extinguan- tur.

Non eris obstinatus in tuo sen- su, neque adhærebis proprio judi- cio: sed sapienter iudicium & vo- luntatem aliorum præferes judi- cio ac voluntati tuæ.

Reputabis te ex animo omnium indignissimum esse, omnique vanæ gloriæ, & propriæ compla- centiæ renuntiabis, sicut poteris; agnoscens te ex teipso nihil esse, nihil posse, nihilque nisi peccata ac defectus habere.

Nunquam ergò aliquid de do- nis Dei tibi usurpabis, sed omnia bona Deo attribues, & in eum purè referes.

Eliges atque amabis ignorari & vilipendi ab hominibus, potiùs quàm cognosci aut laudari.

DIVISIO IV.

Sicut etiam Rex tuus Christus ab omni vanitate, pompa, cu- riositate, & superfluitate in cibo, potu, vestitu, atque alijs vitæ ne- cessarijs abstinuit; imò & pauper- tatem abjectissimam in nativitate morteque sua elegit: ita tu pro- pones posthac rebus moderatis, vel etiam simplici cibo ac potu, simpliciq; vestimento, & simplici supellectili contentus esse; re- moven-

Medita-
tiones
pię.

3.
Imitare
etiam
mansue-
tudinem
Ducis
tui.

Proprio
sensui
renuntia

Amorij
proprio.

Nihil ti-
bi arroga

Amo-
rem

4.
Imitare
Ducis tui
pauper-
tatem in
convictu.

Procul-
dubio
Christo.

Ergo Chri-
sti virtu-
tem imi-
tatur.

2.
Imò, hu-
militate
ejus, &
obedi-
entiam.
Phillip.

Ergo
omnes,

Infra
omnes,

In vili-
ssimo,

Obedien-
tiam.

30

Medi-
tationes
piz.

movendo à te quidquid vanum, superbum, vel omninò superfluum est.

sibi illatas, humillimè, patientissimè, benignissimè, & animo prorsus resignato pertulit: ita tu posthàc tui reprehensionem, injurias, opprobria, contemptum, dolores, & quælibet adversa patienter ac benignè tolerare propones pro illius amore, suscipiendo omnia de paterna manu ejus.

DIVISIO V.

4.
Mortificatio & puritas affectuū & gravitatem morū, in Christo

Rursus, sicut Rex tuus Christus sensualia oblectamenta carnisque delicias non est sectatus, sed etiam sitiens, felle atque aceto potatus fuit, & nulli rei inordinatè adhæsit, moresque & gestus placidissimos habuit: ita tu propones posthàc omnes impuras & sensuales delectationes, impuraque solatia respuere.

Resignabis te totum, sicut poteris, in æquissimum judicium, gratissimumque beneplacitum illius: te, inquam, funditus illi relinques, permittens ut ipse tecum agat, tibi mittat, à te auferat, quidquid volet, & sicut volet. Renuntiabis omni propriæ voluntati tuæ.

Custodia sensuum & lingua

Quinque sensus tuos, visum, auditum, odoratum, gustum, & tactum, atq; etiam linguam tuam, ab omni excessu, vanitate, & curiositate cohibebis

Crede te omni tribulatione dignum esse, nec ullam creaturâ te posse tantum affligere, quantum mereris affligi, propter infinitas iniquitates tuas.

Ordinatio munditiæ & libertatis.

Cor tuum omni diligentia mundum liberumque custodies. Non adhærebis per inordinatum affectum alicui personæ, aut alicui rei caducæ.

Non leviter conqueri debebis, quòd aliqua injuria tibi irrogatur; nec dicere, quòd aliquid injustè patiaris: quia minùs semper patieris, quàm meritis sis.

Maturitas.

Risum immoderatum, & omnem morum levitatem vitabis.

Fuga mundanorum consortiorum.

Noxia & superflua hominum mundanorum consortia, & peccandi occasiones prudenter declinabis.

Impendenda impia utiliter.

Reliquum vitæ tuæ tempus utiliter ad honorem Dei expendes, & sobriè, castè, purè pieque, Deo auxiliante, vivere studebis.

DIVISIO VII.

6.
Inductio Christi Domini patienter.

Præterea, sicut Rex tuus Christus, injustas sui accusationes, convitia, persecutiones, ac pœnas

Postremò, sicut Christus Rex tuus, omnes amans, omnium que salutem desiderans, etiam pro inimicis suis oravit, & solem suum oriri facit super bonos & malos: ita tu propones posthàc omnes homines, nullo excepto, sincerè diligere, omnium salutem desiderare, & omnibus, maximè inimicis, fidelem, pium, ac suavem te exhibere ex charitate.

Dole

INSTRUCTIO VITÆ ASCETICÆ

551

Compassio.
Dolebis, quòd tam multæ animæ, nobilissima Dei imagine insignitæ, pereant. Afflictis compatieris.

Neminem iudicare.
Neminem contemnes, neminem iudicabis: valde enim gratiam Dei impediunt temeraria iudicia.

venies proculdubiò ad palatium ejus cæleste, & vitam gloriamque sempiternam cum omnibus Sanctis obtinebis.

Meditationes piæ.

*Conclusio. Sic se-
quamur
& asse-
quamur
Christum.*

MEDITATIO VII.

De Gloria cælesti.

DIVISIO VIII.

Quinque præcepta.
1. *Inspice exemplar.*
8. **I**STA apud te studiosè ruminabis attentè, quàm verum sit, quod dicitur, quando in prædictis Christus hoc vel illud fecisse scribitur.

2. Applicata exemplarum planities.
Matth. 10. Luc. 6.
Oprabis ex animo illi conformis esse, ut sit discipulus sicut Magister ejus: & non superbiat vilissimus servus, supremo Imperatore humilitatem in omnibus exhibente.

3. Examina voluntate.
Examinabis te diligenter in singulis, & perpendes utrùm integram voluntatem habeas opere complendi per gratiam Dei id quod legis. Nam ad hoc sine aliqua tergiversatione paratus esse debes.

4. Non frangaris difficultate.
Si tamen, natura tua contradicente, minùs paratum adhuc te sentis, non eris propter eà nimium pusillanimis: sed facies quod in te est, & bonæ voluntatis eris; renuntiabis vitijs, & resignabis te ipsum sicut poteris.

5. Oratione te iuvet.
Orabis Deum ut te corroboret, & tibi donet ea quæ salutis tuæ necessaria, & ipsi placita sunt.

Si sic Regem tuum imitari desideraveris atque studueris, per-

1. *Representatio localis Patriæ cælestis, seu Paradisi gloria.*

2. *In quo consistat summum bonum, & beatitudo animæ.*

3. *Quanta delicia in hac beatitudine.*

4. *Gloriosa societas in Paradiso gloria.*

5. *Corporis dotes & perfectiones in patria futura.*

6. *Aspiratio ad patriam paradisi.*

DIVISIO I.

POTES patriam illam cælestem imaginari, tanquam civitatem clarissimam, gloriosissimam atque amplissimam, ex purissimo auro, pretiosissimisque gemmis constructam. Vel, si mavis, imaginare regionem spatiosissimam, & omni graminum, florum, atque arborum pulchritudine exornatam, omni que fragrantia, suavitate & delectatione plenam: ubi semper sit ver placidissimum, & ætas amœnissima. Ibi est jucunditas, requies, tranquillitas, & pax omnem sensum exuperans.

1. Imaginaria representatio paradisi.

DIVISIO II.

TU creatus es ad summum & infinitum bonum, quod est Deus. Hoc bonum, meritò incarnationis & passionis Christi habebis, & illo fruèris in æternum, si hic purè & sanctè in timore atque charitate Deum colueris.

2. Finis nostrum est summum bonum, quod est Deus.

Xxx

Cogita,

Meditationes

Cogita, quodd istud jucundissimum bonum contineat in se exuberantissimè omnem nobilitatem, pulchritudinem, decorem, elegantiam, dulcedinem, suavitatem, gratiam & perfectionem. Hoc ubi adeptus fueris, nihil amplius appetere poteris: invenies enim plenissimè in Deo, quidquid desiderari potest.

Deus est summum bonum, continens in se omne desiderabile.

Pulchritudo Dei infinita.

Constat ergò, visionem Dei summè jucundam esse, & omnem delectationem, quæ excogitari possit, incomparabiliter præcellere. Nam si naturaliter vidēs libenter id quod pulchrum est, quale & quantum gaudium tibi erit, divinam essentiam clarè contemplari, quæ est fons unde omnis pulchritudo dimanat, & quæ infinite est splendida, serena, decorata, suavis ac deliciosa?

Dei coniungi in se, est ineffabilem beatitudinem.

2. Cor. 2.

O quid videt, quid audit, quid odoratur, quid gustat, quid sentit, qui Deo conjunctus est in cælis? Verè oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis mortalis ascenderunt bona, & gaudia, quæ præparavit Deus electis suis.

DIVISIO III.

3. Beati omnia sciunt quæ scire cupiunt.

Videndo Deum, omnia videbis, & scies omnia quæ scire volueris. Intueberis in Deo totius universi ordinem, & omnem veritatem.

Fruitis æterna.

Frueris summo bono, & ipsum semper possidebis, atque in eo, quidquid delectabile est, habebis.

Irradiaberis æternâ sapientiâ, & divinæ pacis dulcedinem abundantissimè gustabis.

Absorberis prorsus amore Creatoris, & in eum transformaberis, eumque semper pro tuo desiderio complecteris, & eris ei perfectè unicus.

Videbis fulgidam & semper tranquillam Trinitatem, cognoscesque quomodo Filius generetur à Patre; & Spiritus sanctus procedat à Patre & Filio; & quemadmodum Pater diligit Filium, & Filius Patrem, & uterque Spiritum sanctum. Item quomodo Pater & Filius & Spiritus sanctus sunt unus Deus.

Tunc laudabis Deum perfectissimè, & sine aliquo tædio aut labore. Laudabis enim cum omnibus Beatis in sæcula sæculorum.

Iam nunquam amplius ipsi displicebis, sed placebis ei per omnia.

DIVISIO IV.

Videbis excellentiam & pulchritudinem humanitatis Filij Dei JESU CHRISTI. O quantâ lætitiâ perfunderis, cernens amabilem JESUM in regno suo sublimem & gloriosum! qui aliquando in mundo pauper, despectus, & afflictus fuit propter te.

Videbis etiam cum ineffabili gaudio decorem & gloriam dulcissimæ Genitricis Dei Virginis Mariæ.

Con-

INSTRVCTIO VITÆ ASCETICÆ.

333

Angelo- rum, Conspicies omnes ordines Angelicorum spirituum, & quomodo millia millium ministrant Creatori, quodque non sit numerus militum Dei.

Sanctorū. Cognosces perfectissimè omnes Cives cæli; cognosces eorum inviolabilem pacem, fervidissimam charitatem, jucundissimam societatem, inconcussam securitatem, inenarrabilemque pulchritudinem, splendorem, ac gloriam. Omnes autem Beati sunt inclyti & gloriosi Principes & Reges.

Felix con- sirtium Beatorū. Cum Christo, cum speciosissima benignissimaque ejus Genitrice Maria, & cum omnibus Beatis familiarissimum perpetuumque habebis confortium.

Volupta- ti ineffa- bilis Bea- torum. Verè omnia gaudia mundi comparata cum minimo gaudio cæli, sunt mera amaritudo. Non tantum excedit vastissimum mare unicam aquæ guttulam in quantitate, quantum minima jucunditas Beatorum excedit omnem jucunditatem & voluptatem, quæ unquam in hoc mundo fuit.

Aterni- tas beata semper eadem. Et ipsa gaudia cæli nunquam finientur neque diminuentur unquam.

DIVISIO V.

5. Glorifica- ti corporis dotes. Præterea ubi anima tua in resurrectione receperit corpus suum gloriosum, quid inde gaudij percipies? Nam ipsum corpus erit clarissimum, & Sole multò lucidius: erit integerrimum, fir-

missimum, pulcherrimum, purissimum, suave-olens, incorruptibile, impassibile, subtilissimum, & maximè agile. Vnde anima cum suo glorificato corpore, ubicunque voluerit esse, brevissimo temporis puncto erit: nihil ei obsistere, nihil obicem aut impedimentum præbere poterit.

Conspicies item post resurrectionem maximum gaudium de felici innovatione hujus visibilis mundi: qui longè elegantioris formæ erit, quàm modò sit.

Innova- tio mun- di; Nam quidquid in mundo nunc immundum, quidquid in terra obscurum & opacum, quidquid in aquis gelidum, & quidquid in igne vim habet urendi, id omne descender in tartara.

Purga- tione à defecti- bus; Sol, & luna, & stellæ septuplò lucidiores erunt, quàm nunc sunt. Non erunt deinceps nubes, neque grandines, neque pluvix, neque venti, neque fulgura, neque tonitrua. Nox esse desinet, succedente perpetua die & claritate, tam in terris, quàm in cælis. Aër plus habebit luminis, quàm modò habet; aqua purior erit, quàm modò est. Terra tanquam aurum pulchra, & sicut crystallus perspicua, atque ut palmus plana erit.

DIVISIO VI.

6. Infelix, qui has negligit. Talia præparavit Deus diligentibus se. O quàm infelices sunt illi, qui propter vilissimas hujus mundi voluptates, delicias, ac vanitates, tantis gaudijs se privant!

X x x 2

Tu

Meditationes
pia.
Adspira
ad ista,

Et recte
ealo via
sequere.

Tu verò, qui hæc legis, adspira, & festina ad immarcescibilem illam gloriam.

Detestare ac fuge omne peccatum, quantum potes : contemne omnia transitoria, dilige Deum, dilige omnes homines, & tempus tibi concessum utiliter expende.

CONCLUSIO.

Monita ad praxim meditationum idonea.

1. Mora in exercitijs trahenda.
2. Quomodo legenda exercitia.
3. Contra somnolentiam obrepentem.
4. Contra tentationes insurgentes.
5. Sui ipsius custodia.
6. Ad veram humilitatem obtinendam auxilia.
7. Ad firmandum cor in presentia, & iugi memoriâ Dei.

1.
In quibus
dus diu-
suis im-
moran-
dum.

QUI se in prædictis Meditationibus exercet, poterit, vel etiam debet in aliquibus illarum, nempe in ijs quæ fecundiores sunt, hærere plùs quàm ad tres dies: maximè durante prima exercitatione, quæ est exercitatio repetitionem earundem meditationum præcedens.

2.
Quo om-
dine le-
genda
Medita-
tiones.

Utile fuerit, ut quando quodlibet exercitium, seu quamlibet Meditationem incepturus est, legat priùs ultimam divisionem ejusdem meditationis, quia in ea ferè ponuntur aliqua conducentia ad ritè fructuoseque peragendum meditationem.

3.
Contra
somnia
& acci-
diam.

Si, dum se exercere debet, deprimatur somno; surget, & stando, vel ambulando continuabit

exercitium. Singula divisionum puncta & membra meditanda diligenter apud se expendet, atque in ijs liberè immorabitur.

A modò, quando sentiet se sollicitari aut allici ad sequendum vitiosas passiones, concupiscentias, & inclinationes suas, si sanctus amor ipsum à malo non retrahit, mox ad memoriam reducet mortem, iudicium, & infernum, ut saltem utilis timor eum coërceat.

Sensus suos & linguam suam studiosissimè continebit refrenabitque, & peccandi occasiones fugiet: neque enim aliter ullum in veris virtutibus profectum facturusest.

Ut autem ad sui despectionem & veram humilitatem (sine qua nulla virtus alicujus pretij est) celerius pertingat, sæpenumerò exercebit se in attenda amorosaque consideratione magnitudinis Dei, & fidelitatis charitatisque ejus erga se: atque è diverso in consideratione suæ parvitat, suæque erga ipsum Deum infidelitatis atque ingratitude. Dicet Deo hæc aut similia: O Domine, quis es tu? & quis sum ego? Tu es Dominus summa Majestatis, nobilitatis, atque dignitatis: Tu es Creator celi & terre. Tu es Deus immensus, Deus omnipotens. Ego verò sum vilissimus vermis; ego sum indignus quem terra sustineat; ego nihil sum, nihil possum. Tu mihi semper fidelissimus fuisti, purissimè me

me diligens, mihiq; innumera beneficia conferens: sed ego, heu! infidelissimus nimiumq; ingratus tibi fui, & adhuc sum. Prædictum exercitium purè exercebit ad honorem Dei: omnem hominem, quantumcunque etiam malum, sibi in corde suo præponet, eumque se meliorem reputabit.

7. *Mens per crebras adpirationes in Dei præsentia stabilisur.*
 Consuecet mentem suam frequenter revocare erigereque ad Deum; & hoc etiam in colloquijs atque operibus externis faciet: ne ipsa mens vaga, & propositi sui oblita, atque à Deo nimium elongata, puritatem internam, gratiamque pristinam amittat. Piè attendet amabilem Dei præsentiam, sciens eum omnes suas cogitationes, verba & actus semper inspicere. Adspirabit ad sponsum animæ suæ JESUM CHRISTUM, & dulcia amoris colloquia eum eo miscebit. Hac ratione & hanc vitam cum jucunditate transiget, & post mortem corporis, ad æterna vitæ immortalis gaudia perveniet. Amen.

EPILOGUS.

De Novitio in septem præmissis Meditationibus exercendo.

NULLUS posthac in Monasterio nostro Lætiensi admittatur ad professionem monasticam, nisi prius diligentissimè se exerceat in illis septem Meditationibus, quæ de peccatis, de morte, de judicio, de inferno, de vita & Passione Christi, deque imitatione

ne ejus & Regno cælesti consecratiæ habentur, servata ea ratione quæ in illarum præfatione declaratur. Sciendum autè, quia quamdiu Novitius erit in prima sua exercitatione, hoc est in exercitatione repetitionem ipsarum Meditationum præcedente, silentium strictissimè servare debebit, nisi fortè necessitas cogat eum aliquot verba interdum proferre: quæ etiam non nisi modestissimè proferet. Si interim amici vel parentes ejus supervenerint, non aliter se eis adjunget, quàm ratio & Superior sive Director permittet. Ab Abbate tamen & Priore sive Directore suo poterit semper religiosè quærere, & illis indicare quod crederet utile esse. Imò quotidie, si interrogetur, dicet Directori suo utrum horas exercitio deputatas, plene in exercitio expenderit, exponetque quousque pervenerit: & declarabit apertè, absque aliqua dissimulatione, quid egerit, & quomodo se habuerit. Præterea durante sua prima exercitatione, nec ordinarium nec solemne spatium cum ceteris Fratribus habebit: sed manebit in cella sua, nisi infirmitas aut alia aliqua necessitas contrarium exposcat. In qua etiam cellâ suâ solus comedet, quando cunque lectio remittetur sub refectioe conventuali. Insuper quamdiu erit in prima exercitatione, Maturinis conventualibus non intererit, nisi sit summum Festum: non intererit

Xxx 3

etiam

Meditationes
piz.

etiam lectioni regulari. Communionem sive Eucharistiam accipiet singulis diebus Dominicis, & in summis Festis. Exercebit verò se manè unâ integrâ horâ ante Primam Canonicam, & unâ horâ ante Sextam Canonicam. A prandio similiter exercebit se duabus diversis horis ante Vesperas Canonicas, si commodè fieri potest. in summis Festis quando debet interesse Matutinis conventualibus, non servabit manè exercitium, nisi ad unam horam antefummam Missam. Ubi prima exercitatione ritè transacta pervenerit ad secundam (quæ est prima exercitiorum seu Meditationum repetitio) jam in ipsis exercitijs non amplius ita indiget Directore. Intererit Matutinis, & ceteris actionibus con-

ventualibus more aliorum Fratrum: unde duabus duntaxat horis se exercere in die poterit. Permitteretur etiam ire ad hortum, ac spatia habere; sed adhuc multum taciturnus erit, & non nisi parcissimè loquetur. Ipsa secunda exercitatione plenè finita, deinceps tertia exercitatione (quæ est secunda exercitiorum repetitio) erit paulò liberior, honestè & monasticè se gerens in omnibus. Si plures fuerint Novitij, peragent exercitia unus post alium: ita ut ubi unus completiverit primam exercitationem, secundus eam inchoet, ad laudem Dei.

—❁— (o) —❁—



VENE-